Reverendo Doctissimoq; Viro,

RADULPHO CUDVVORTH, S.T.P.

Coll. Christi apud *Cantabrigienses* PRÆFECTO,

Has suas Lucubratiunculas *Geo. Bright* D.D.C.

TABULÆ MOSAICÆ DUÆ

Quarum altera Præcepta Legis Mosaicæ commodâ methodo disposita, altera Oblationum omnium ex Efficiente, Materiâ, Consumptione, Personis, Significatu, Tempore Distributiones varias continet.

Authore GEORGIO BRIGHT, *S.T.P. Cantabrigiensi.*

PRÆFATIO.

CONSILIUM *erat, amice Lector, in construendis istis duabus Tabulis Legis Mosaicæ illarúmq; de Oblationibus partem maximè perplexam, itâ & tibi & mihimetipsi exhibere, ut oculis expeditiùs percurrere, animo complecti faciliùs, memoriâ diutiùs tenere valeamus.*

In Primâ ad tria potissimùm respeximus: (1.) *Ut Præcepta utilissimâ methodo exhibeantur; cúmq; omnia nostra officia ad Deum, Proximum & Nosipsos optimè (ut fieri solet) referri putarem, eam horum distributionem sum secutus.* (2.) *Ut ea distinctiùs notentur quæ ad animi internas potiùs quam quæ ad externas corporis actiones pertinebant.* (3.) *Ut non minutissima quæq; (neq; enim id operæ pretium videbatur) sed latiora capita ponam: itâ tamen ut permulta sub iis ubi id expediret & paucis fieri posset recensita videas, indicatis ad Marginem locis unde plura si cui id placeret peti possint.*

Majemonides *præceptorum collectionem (utì notum satis) ad numerum* 613, ex Talm. Bab. *tract.* Maccoth cap. 3. *nobis dedit, eáq; in* עשין *Jubentia* 248, & לאוין *Vetantia* 365 *distinxit. Cæterùm ea distributio ad conferendam Legem Mosaicam cum Christianâ, discernendámq; alterutriùs præstantiam, quæ in ordinem conjiciendi causa erat præcipua non adeò commoda visa est. Numerus autem ineptè satis confictus videtur non in Lege repertus, ut membrorum corporis juxta illorum bellam anatomiam dierúmq; anni numerum æquet: ineptiúsq; adhuc probatus ex* Deut. 33.4. *ubi vocem Hebræam* תורה *Legem Gematricè, h. e. valore literarum numeralium id docere aiunt. Cùmq; vox* [תורה] *non nisi* 611 *numeris valet, duo adhuc præcepta ex ipso Dei ore* [מפי הגבורה] *pronunciata fingunt, nempe* [&c. אנוכי] Ego sum Jehova Deus vester; & [לא יהיה] Nè sint tibi Dii alii coram me, *Exod.* 20. 2, 3. *Quasi vero Deus hæc duo plùs quam quæ ibidem sequuntur præcepta propriâ voce edidisset: Ejus tamen probationem qualis* Judæorum *esse solet videat Lector si placet in* Glossâ ad dictum Talm. *locum. Magistrorum Authoritas* Majemonidem *hunc numerum retinere & cum suis nugari fecit. Prætereà si cui præcepta adeò minutim colligere lubeat, is isti numero multa pari ratione addi, multa demi posse, multa in aliis adeò manifestè contineri, ut nemo non videat, inveniet. Id quod in ipsis etiam* Majemonidis *restrictionibus, quas suo de Præceptis libello præmissas* [שרשים] *radices seu capita quædam præcipuè notanda appellat, observare licet.* Nachmanides 17 *Præcepta jubentia totidémq; negantia à* Majemonide *prætermissa meminit, quorum unum saltèm etiam ipse* R. Isaac de Leon *strenuus* Majemonidis *defensor omissum fatetur. Sed quicquid de istis fit (neq; enim multum* Judæorum *rationibus tribuendum) alia si res tanti esset proferri possunt. Nam exempli causâ, Præceptum Affirmativum* Majemonidis *decimum, de* קריאת שמע *seu recitatione quotidianâ verborum ex* Deut. 6. *desumptorum, quorum prima sunt,* Audi Israel, *& de quâ tam multa superstitiosi garriunt* Judæi, *planè nullum est; probant quidem ex v. 7. ubi dicitur,* Et loquêre de iis cum domi sis & cum iter feceris, cùm cubes surgásque: *sed ea verba nec de eo Legis loco plusquam de quovis alio, nec de quotidianâ recitatione intelligenda. Sic etiam Præceptum decimum septimum, ut* Quisq; sibi librum Legis describat, *non minùs stolidè petunt ex* Deut. 31. 19. *Itâ porrò interdum unum in duo vel tria partiri debuit* Majem. *si adeò accuratus esse voluit, utì rectè est* A ראבר R. Abr. F. Dav. *in suis censuris animadversum quicquid* A. R. Jos. *karo* Majem. *Hyperaspiste in contrarium allatum fuerit. Interdum id ille in duo differat præcepta quod planè unum idémq; est. Itâ facere aliquod opus servile die decimo mensis septimi contra unum præceptum jubens & alterum prohibens esse docet: Illud habetur verbis,* [שבת שבתון הוא] Is dies cessationis esto Sabbatum; *hoc verò exprimitur verbis,* [כל מלאכה לא תעשה] Nullum opus facietis: *Est autem hîc alterum alterius explicatio tantùm, vel bini sunt loquendi modi idem enunciantes; vid.* Majem. שרשי ו' ספר המצו cap. 1. & שביתת עש. *Sed in re tam exiguâ satis hoc supérq; est. Hisce autem præceptis si quis dogmata omnia Pentateuchi, de Deo, Angelis, Homine, imò & Mundo aspectabili seu corporeo, quorum cognitio fidésq; ad præceptorum observationem quâvis ratione conferant adjecerit, is quicquid Revelatione cognitum erat* Hebræis, *seu Religionem* Judæorum *totam divinitùs edoctam (quantum nobis constat) qualis sub primis Reipublicæ initiis erat, habebit; eámq; ut mihi videtur ad usum methodo optimâ. Religionis enim veræ haud dubiè scopus is est, ut Homines optimis præceptis primùm meliores facti, tandem evadant fœlicissimi, seu ad virtutem primò deinde fœlicitatem perducantur. Addantur etiam eâdem methodo præcepta aliáq; dogmata quæ in aliis libris veteris Testamenti* θεοπνεύςοις *occurrunt, & videbimus qualis erat Religio revelata* Judæorum *à* Mose *usq; ad Christum paulatìm tradita quantùm nos hodiè certò scimus. Verisimilius tamen & illud puto alios quosdam fuisse Libros* θεοπνεύςες *qui penitùs interiêrunt; quin & aliquid amplius quàm quod in his Scriptis habetur, partìm inspiratione, partim naturalis ingenii viribus & studio notum, traditione à viris sanctis doctísq; in* Judæos *præsertim sapientiores sparsum fuisse. Cujusmodi sunt nonnulla de Divinæ naturæ Attributis, de Messiâ, de Vitâ futurâ, de Resurrectione, aliísq;: nam multi extiterunt* Prophetæ, *multi horum Discipuli, horúmq; multæ Scholæ & Collegia: & credi vix potest nihil prætereà istos cogitasse, cognovisse, docuisse, quàm quod hodiè in Libris sacris legimus: quid vero quantúmq; hoc sit nobis incertum, usq; adeò scriptum dicto, literis commissum voce tradito præstat. Néq; sanè is inutilem navaret operam, qui rursus Religionis Christianæ Doctrinas eâdem methodo adscriberet; eas inquam solummodò quæ in libris novi Fœderis continentur, unde facilis erit utriusq; collatio. Sed vereor nè hæc nimium locoq; aliquantùm alieno dicta sint.*

In secunda Tabulâ *si Distributiones Ritúsq; omnes simul sumas, præcipua quæ in istis Oblationibus scire intersit habebis. Harum distributionum quintam majoris paulò momenti judico, quanquam & reliquæ usu suo non careant, id quod longiùs hîc exponere non convenit. Scio longè plures imò penè infinitas distributiones dari posse, utì ex Adjuncto Sanctitatis, itâ ut aliæ sint* קרשי קרשים *sacra sacerrima, cujusmodi Holocausta & piacularia Sacrificia; aliæ verò* קרשים קלים *Sacra levia, qualia erant privatorum hominum Salutaria, primitiæ, decimæ, pascha, aliáq;. Sed hæc omnia corradere esset Historiam integram texere, non aliquot distributiones facilioris comprehensionis & memoriæ causâ ponere. Siquis hujusmodi plura scire cupiat, consulat (si potest) Tractatus* Talmudicos זבחים & מנחות & Majemonidis in Jad-hhazak. הלכות מעשה קרבנות

Postremò Annotatiunculam unam aut alteram pro angustiâ loci vel Instituti brevitate vel interspersimus vel adscripsimus. In his omnibus si quid erratum aut [illegible] *fuerit, cùm utrúmq; itâ humanum sit, ut nihil ferè unquam præstitum nequeat præstari meliùs, veniam dabit candidus prudénsq; Lector: Qualiacúnque* [illegible] *nocitura nemini pro*[illegible] *aliquibus, & opto & spero.*

Præceptorum LEGIS MOSAICÆ ex Personis

DISTRIBUTIO.

I. DEUM. Cujus

Cultus internus:

1. In genere, Jehovam, Deum Deorum, Dominum Dominorum, unicum, terrisq; cœlisq; justissimum, rectissimum, benignissimum, clementissimum, fidelissimum, potentissimum, sapientissimum, Mundi conditorem, conservatorem, rectorem, Miraculorum in *Ægypto* & in Deserto indéq; liberationis auctorem, illorum gratiâ Gentium expulsorem, terræq; fælicissimæ datorem futurum: hunc inquam solum purâ mente colere. Distinctiùs, — *Deut.* 10.12. & deinceps.
2. Illi in omnibus summâ cura & studio animo prompto & alacri parêre. — *Deut.* 5. 18.
3. Illi dicenti docentiq; credere fidémq; immotam adhibere. — *Deut.* 30. 4.
4. Illum totis viribus diligere gratóq; in eum animo esse. — *Deut.* 10.12. & 6. 5.
5. In eum fiduciam reponere, ab eo solo prospera, adversa, læta, tristia, bona, mala, omnia aut sperare aut timere prout se gessissent. — *Deut.* 7.21. *Lev.* 26.
6. Coram eo lætari & gaudere. — *Deut.* 26.11. & 12 12.
7. Illius gratiam & benevolentiam mandatorum observatione conservare diligenter, trangressione vero amissam resipiscentiâ recuperare. Ibidémq; gratiæ opisve divinæ promissum habes. — *Lev.* 26. *Deut.* 30.6.
8. Illum timere. — *Deut.* 6.13. & *ubiq;*
9. Ab illo supplices omnia bona petere; *Deut.* 26. 13. Item *Mosis* exemplo pro *Pharaone*, *Exod.* 8. 9, 10. Et pro condonatione Idololatriâ graviter peccantis populi, *Exod.* 32. 10. — *Deut.* 26.13. *Exod.* 8. 9,10. *Exed* 32. 10.
10. Illius præstantissimam naturam, præcepta, opera omnia creationis providentiæ, tum verò imprimis illorum ex *Ægypto* eductionem summâ admiratione meditari, venerabundo gratóq; ore animóq; recolere. — *Ex.* 20 11. *Deut.* 5.21. *Exod.* 20 26. *Deut.* 28.58. & 32.39.
11. Illum bonorum omnium auctorem, idq; benignitate suâ non illorum merito motum agnoscere. — *Deut.* 4.
12. Illum imitari quem colebant. — *Lev.* 11.44. & 19. 2. multisq; aliis locis.
13. Illi vota ritè nuncupata persolvere. Illud Naziræatûs imprimis suis lege præscriptis ritibus. — *Num.* 30. *Deut.* 23. 21. *Num.* 6.

Cultus externus:

1. In fœderis inter se suúmq; Deum percussi signum, quódq; ipsum solum suo præscripto colere velint, mares omnes circumcidere. — *Gen.* 17.11. *Lev.* 12.3.
2. Seipsum vel coram Propitiatorio vel per Urim & Thummim consulere, vel Prophetas à se missos audire. Urim & Thummim autem laminam metallinam vel membranulam Dei nomine Tetragrammato ejúsq; Attributis quibusdam inscriptam & pectorali inditam conjicio. Quare ità sentiam aliàs fortè dabitur opportunior dicendi locus. — *Deut.* 18.18.
3. Non Divinos, Planetarios, Incantatores, Conjectores, Ariolos, Præstigiatores, Pythones, Necromantes adire. — *Deut.* 18. 10.
4. Oblationes omne genus ut signa cultûs interni aliásq; ob causas illi offerre, idq; quales & qualiter ipse jussisset, *viz.* Decimas, Primitias, Massæ placentam, fructus anni quarti arborum fructiferarum post plantationem, Primogenita, Victimas, Munera & Libamina, panes propositionis, lucernas ante mensam nocte accensas. — Materia cultus externi. Hic autem si omnia distinctè colligas, facilè centena aliquot numeres.
5. Cùm aliàs semper prout occasio postularet, tùm statis temporibus, nempe quóq; bis die festisq; ab illo descriptis Sabbatorum, Neomeniarum, Paschæ & Azymorum, Septimanarum seu Messis, Buccinarum, Expiationis, Tuguriorum, Interdicti, [עצרת] in sui honorem populiq; in gratitudine, obedientiâ cunctisq; lege præscriptis officiis institutionem & profectum, quin & charitatis gratiâ in egenos & victûs Sacerdotum. — Tempus cultus externi, *Num.* 28,29.
6. In Primitiarum oblatione, & in decimarum pauperum distributione, agnitionis tenuis miseræq; olim conditionis divinorum erga eos beneficiorum, gratitudinis & integritatis professionis, pro benedictione divinâ precationis certâ formulâ uti. — *Deut.* 16. 2.
7. In hunc finem certum quendam locum quem Deus eligeret (Tabernaculum primò, deinde Templum juxta divinum mandatum fabricandum) ubi hæc omnia peragerentur sacrum habere. Deinde Altaria vasáq; omnia & supellectilem qualia ipse describeret, utì & Sacrorum Ministros, *viz.* Sacerdotes, Levitas, cum suis vestibus, ritibus, &c. — Locus aliæq; cultus circumstantiæ, ubi etiam permulta numeres præcepta, si minuta sectari placet, *Deut.* 12.5. & *Deut.* 18. *Exod.* 25.20.
8. In hujus cultûs conservationem per ipsum solum jurare, idq; neq; temeré neq; falsò. — *Exod.* 20.
9. Non Prophetam etiam verè prædicentem futura ad alterius Dei cultum trahentem audire, illúdq; suadentem etiam conjunctissimum, carissimúmq; ipsámq; adeò uxorem prodere, accusare, morti tradere, primúmq; manus sceleris evicto injicere. — *Deut.* 13.
10. Non statuas, sculptilia, effigies, similitudinem ullam etiam ipsius Jehovæ sibi ipsis facere aut eis honorem exhibere. — *Exod.* 20. *Lev.* 26.
11. Non sequi Ritus quos septem terræ Canaanitidos Gentes in Deorum suorum cultu adhibebant, sed tantùm eos quos ipse præscriberet. — *Deut.* 12.30.
12. Non cum illis affinitates contrahere, fœdus facere, eorúmve misereri. — *Exo.* 34.11. *Deut.* 7.1.
13. Sed illorum aras, statuas, lucos, &c. demoliri & comburere. — *Deut.* 12.2.
14. Eósq; penitùs delere utì & ipsos *Amalekitas* (non verò *Ammonitas*, *Moabitas*, *Edomæos*); pariter etiam civitatem Apostasiæ ream & deficientem. Hæc autem non ex odio aut vindictâ sed tanquam justissimam Dei sententiam exequi jubentur. — *Deut.* 13.12.
15. Præcepta Dei scripta fronti, manibus, januæ postibus (si hæc ad literam sumenda) alligare; in oris vestimentorum peniculamenta, monimentum officii gestare. Hoc vero juxta Judæos ad mulieres non spectabat. — *Num.* 15.38.
16. Filios Familiásq; frequenter de istis monere, docere, instituere, cum iis loqui. — *Deut.* 11.9.

Erant autem vel ab *omnibus* observanda, vel à *quibusdam* tantùm.

Ea autem ab OMNIBUS observanda proximè respiciebant.

II. PROXIMUM.

1. In genere ut Proximum, *h. e.* (utì mihi videtur) unumquémq; hominem diligerent seu ei benevellent; nam etiam Peregrinum qui proximus appellatur diligere sicut seipsos præceptum; & amicitiam colere, & fœdera facere, fidémq; servare cum exteris omnibus præterquam 7 gentibus & Amalekitis nunquam prohibitum. Néq; enim fieri potest ut Deus quenquam odio habere aut juberet aut permitteret quòd tam manifestè rectæ rationi legiq; naturæ repugnat. Non tamen omnibus æquè benefaciendum sed meriti conjunctionis aliarúmq; rerum ratio habenda, prout magis in majus bonum conferre quicquam visum esset; etiam ipsa ratione & Christianâ Religione jubente. Etiamsi bellum internecinum non tamen proptereà odium qualecúnq; in 7 gentes & Amalekitas jussum aut permissum, utì *Grotio* ad *Mat.* 5. placuit. Nihilo quicquam certè magis quàm prætori lictorive in sontes lege puniendos. Longè aliud est odio habere & pænâ afficere; illud nunquam licet, hoc sæpe fieri debet ex curâ studióq; boni publici. — *Deut.* 10 19. *Exod.* 23.4,9. *Lev.* 19.34. *Deut.* 15.3. *Gal.* 6 10.
2. Rempublicam constituerent; *h. e.* communi consensu pro se quisq; potestatem legislativam & executivam alicui delegarent, qui quidem primariò ipse Deus esset, & præterea ab ipso Deo substitutus & electus *Moses* & 70 Seniores illorúmq; Successores, semper tamen Judæus illorúmve popularis. — *Deut.* 17. Mirum hic videri potest nihil in Lege Mosaicá reperiri de supremæ potestatis constitutione, electione, &c. quod tamen primam poscebat curam.
3. In omnes justitiam in rebus commutandis & distribuendis diligenter colerent. Sontes pro ratione culpæ punirent, insontes tuerentur, unde refugii civitates *Deut.* 19. & nè filios pro patre morte afficerent *Deut.* 24.16. Mercenarii mercedem imprimis nè detinerent, bonos autem donarent præmio. Leges de hæreditate, dominio, proprietate, *&c.* observarent. — *Deut.* 24.14. *Lev.* 19. 15,35. & *Lev.* 25. Speciales de hisce leges consulas licet.
4. Non quenquam vitâ & corpore, famâ, bonis injustè læderent. — *Exod.* 20.
5. Adeóq; non eum fraude & mendacio nocendi causâ fallere, non calumniari, non maledicere, non ulcisci, fraternâ correptione uti, simplices, veraces, fraudis expertes esse. — *Lev.* 19. quo capite vix in Lege *Mosaicâ* præstantius reperias.
6. In egenos liberales esse: hinc Manipulus oblivione relictus pauperi datus, item Spicilegium, racematio, agri angulus, anno quóq; septimo [שמיטה dicto] ager incultus & communis, nominum exactio à fratre & proximo omittenda, commodatio pecuniæ Judæo fratri (non alienigenæ) sine fœnore; hâc etiam de causâ utì & Servorum gratiâ Jubilæus institutus. — *Deut.* 15.7. & 23.24. & cap. 24. *Lev.* 25. & *Lev.* 23.
7. In servos (Hebræos cumprimis) infirmos (utì cæcos claudos) item in uxores, peregrinos, viduas, orphanos, mansuetudo, clementia, misericordia, æquitas, liberalitas mandata. Hinc præceptum nè vitæ necessaria pignori acciperent. — *Deut.* 15.7. & *Deut.* 24. *Lev.* 19. 14. & 25.35.
8. Errantis, deperditi, pereuntis, Bovis Asini, &c. cujusvis rei amissæ conservatio, inventæ restitutio mandata. — *Deut.* 22.
9. Manúq; tantùm non instrumento in vineâ agróve proximi uti, justitiam & charitatem exemplis & instantiis docebant. — *Deut.* 23.24.
10. Novæ vineæ aut domûs dominum, Sponsum intra annum à Nuptiis, & timidum à bello dimittere, clementiæ sunt & humanitatis documenta. — *Deut.* 20.
11. Eódem etiam respiciebat illud, pacem civitati extra terram Israelis hostili priùs offerri, captæ autem mares tantùm cædere, arboribus esculentis & frugiferis parcere. — *Deut.* 20.
12. Item Loricæ circa domum extructio, Bovis petulci cura. — *Deut.* 22.
13. Parentes honore prosequi, Seniores revereri. — *Lev.* 19.3,32. & 20.9. *Exod.* 20.

Pœnitentia

III. *NOS-IPSOS.*

1. Pœnitentia præcipitur, h. e. peccati pœnæq; propterea meritissimè à Deo irrogatæ confessio, eidémq; submissio, animi dolor propter admissum, deniq; studium vitæ emendationis. *Lev.* 26. 29.

2. De re venereâ & Nuptiis multa, contra Scortationem, Fornicationem, Adulterium, Bestialitatem, Sodomiticam libidinem, Polygamiâ & Divortiis permissis: Item contra Incestum & Personarum nimis propinquarum connubium. Quænam autem illæ personæ sunt habes *Lev.* 18. Item Uxorem repudiatam semélq; alteri nuptam recipere non licere: Item de probatione Virginis & Mulieris vitiatæ. *Lev.* 28. & 18. *Deut.* 23. *Num.* 5. 12. *Deut.* 22. 13.

3. Mulieris virilísq; vestis distinctio castitatem & pudicitiam corporis cultûs morúmq; honestam venustatem respicit. *Deut.* 22. 5.

4. Mortuos modicè lugere, neq; propterea carnem incidere, calvitium inducere, Barbæ angulum radere, ut animi constantiam & magnitudinem tuerentur ut rectè mala æstimare discerent, Deíq; benevolentiæ securis præ illâ alia omnia parva viderentur; deinde ad abigendum ab Idololatriæ initiis, ad animarum existentiam post excessum è vitâ docendum, aliáq; præcipi potuêre. *Deut.* 14. 1. Græcis idem mos. Apud *Hom.* Τοῦτό νυ καὶ γέρας ἐστὶν ὀϊζυροῖσι βροτοῖσι -- κείρασθαί τε κόμην βαλέειν τ' ἀπὸ δάκρυ παρειῶν

5. Ab esu carnis quarundam Animantium, omnium sanguinis, morticini, fructuúmq; arborum tres annos post plantationem omninò abstinere; ad valetudinem, puritatem & præstantiam temperamenti corporei, proindéq; ingenii morúmque, quin & ad temperantiam tanquam causas finales vel etiam rem significatam referendum probabiliter credi potest. Nec istiusmodi esu duntaxat temperare, sed hinc etiam tanquam specimine dato potuisse Judæos discere propriâ tantum prudentia adhibitâ quibus aliis vel omninò pari ratione abstinendum, quibus itidem liberaliùs parciúsve vescendum, ut mentem sanam corpore sano sibi compararent & conservarent. Hînc etiam partìm factum ut horum cadaverum contactus, *&c.* immundos redderet, adeóq; lavandos & expiandos, *viz.* ut diligentiùs ad hoc præceptum adverterent: quin & distinctionis gratiâ à quibusdam saltem Gentibus, vicinis præcipuè, opibúsq; pollentibus, proindéq; ad institutas Religiones sartas tectas conservandas, quod etiam de aliis illorum legibus compluribus dicendum, utì ab aliis jam satis notatum. *Lev.* 21. 26. *Deut.* 14. 38. & 12. 23. Horum verò præceptorum quæ adferri solet causam Judæos tantum illorúmve similes tale solum cœlum, ingenium, mores, accolas, aliásve peculiares circumstantias habentes attingere, neminem latêre potest, proindéq; illorum legem non posse esse universalem.

6. Lotiones & Purgationes, vel simplici aquâ, vel aquâ Separationis, [מי-נדה] propter cadaveris contactum solùm, propter seminis sanguinísve Menstrui emissionem, lepram, leprosorum & seminifluorum sanguinifluarum [γονοῤῥοούντων & αἱμαῤῥοούσων] proinde puerperarum, utì & cadaveris humani & Animalium immundorum vasorúmq; ab iis contactorum contactum, has inquam ad animi modestiam & humilitatem contra fastum, ad mentis puritatem, seu à rebus corporeis & sensibilibus temperantiam & remotionem, ad castitatem reíq; venereæ contemptum, tanquam harum virtutum signum vel causam vel effectum (non quidem necessaria aut universalia, sed istis temporibus, locis, personis aliísq; circumstantiis congrua) referre licet. Etenim Immundities istiusmodi rerum non in alio videbatur consistere quàm quòd alicujus imperfectionis, vel moralis, vel ignorantiæ, vel erroris, vel rerum vilium indigentiæ, (uti cibi, veneris, ejúsq; quod in corpore superfluum aut noxium est egestionis, *&c.*) essent consentanea relata, seu relationem consentaneam (causæ effecti, signi, *&c.*) ad eas habentia. Sanè quidem istiusmodi ad rem relatis aliquid ipsius rei inesse aut adhærescere creditur. Malo hîc utì aliàs sæpe loqui Philosophorum quàm Rhetorum more, distinctè quàm eleganter. Lotiones autem & Purgationes, & quidem oblationes omnes piaculares vel omninò vel magnam partem in hujus rei primò agnitionem & testimonium institutæ; deinde propter alia quæ inde sequerentur commoda. (1.) Ut virtutibus (quas subindicatas modò diximus) studêrent, ad perfectiorem naturæ conditionem, ad mentis puritatem & sublimitatem quandam moniti aspirarent. (2.) Dei perfectionem comparatione factâ meliùs intelligerent, inde eum revereri, eiq; libentiùs ubiq; parêre discerent. *Num.* 19. *Lev.* 11. 12, 13, 14, 15. *Assyriis* aliquid istiusmodi factitatum, apud *Strab. l.* 16

7. Excrementorum tectio decori studium & puritatem mentis rursus monere potuit. *Deut.* 23. 12.

8. Eodémq; etiam respicere videntur isthæc; nè bestiis in opere & coitu, aut seminibus, aut materiis vestium heterogeneis uterentur. Sed & præterea virtutis sinceritatem fortè significabant. *Lev.* 19. 19. *Deut.* 22.

9. Hœdum in matris lacte ne coquerent, néve avem matrem cum pullis caperent, néve Bovi trituranti injicerent capistrum, clementiæ, mansuetudinis, compassionis, justitiæ & æquitatis documenta & monimenta esse potuêrunt, quemadmodum & sanguinis abstinentia. *Deut.* 22. 7.

10. Contra Tyrannidem, fastum, dominandi libidinem, in Regis, Dominorum, Judicum, Maritorum exemplis præcipitur, quæ vide.

11. Ea humilitatis pars quæ ambitioni opponitur in præcepto de privatorum obedientiâ continetur.

12. Item ea quâ Dei jus jubendi, puniendi, *&c.* eáq; quâ nos ab ipso omnia accepisse agnoscimus in officiis cultûs interni, item in pænitentiâ comprehenduntur.

13. Eam porrò humilitatis partem quæ justam rectámq; sententiam de nobis ipsis ferre jubet, in præceptis de oblationibus expiandi causâ factis significatam habes.

14. Æquo animo ferre justam alterius reprehensionem [quæ rursus humilitatis virtuti subjicitur] illud de fraternâ correptione manifestò sequitur.

15. Injuriæ illatæ condonationem præceptum de non ulciscendo contra vindictam privatam continet.

16. Fratris præsertim ob paupertatem, *&c.* contemptum, (cujus opposita virtus humilitatis rursus nomine contineri solet) arcent liberalitatis & æquitatis præcepta.

A QUIBUSDAM tantùm observanda. Vel à

- **Rege seu Magistratu supremo.**
  1. Regem non à Deo deficere, sed ejus Legem observare. *Deut.* 17. 14.
  2. Legem Mosaicam sibi describere. Ibid.
  3. Populum in *Ægyptum* non reducere. Ibid.
  4. Non fastu & superbiâ efferri supra fratres. Ibid.
  5. Non uxores divitias facultates & bona sibi multùm cumulare, aut magnoperè augere. Ibid.
  6. Leges de Hæreditate rerum personarumq; dominio de re militari, civili & sacrâ, item de constitutis pœnis & præmiis perperàm rectéq; factorum, aliæq; omnes à Deo per *Mosem* sancitæ traditæq; ut ritè observentur procurare. Speciatim civitates Refugii designare. Ibid. v. 19. & 19. 2.
  7. Judices & populi præfectos per urbes constituere. *Deut.* 16.18.
  8. Spurium à Munere publico excludere, similiter *Ammonitas*, *Moabitas*, Proselytos usq; ad decimam generationem, *Edomæos* autem & *Ægyptios* usq; ad tertiam, item teste vulneratum virilitate exsectum. *Deut.* 23.
  9. *Amalekitas* & *Canaanitas* internecioni dare & penitùs delere. *Deut.* 13.12.
- **Summo Sacerdote.**
  1. Corpore mancus aut mutilus nè esto. *Lev.* 21.
  2. Virginem ducat non viduam, non repudiatam, *&c.* Ibid.
  3. Certo ritu consecrator, *viz.* unctione sancti olei, oblationibúsq; præscriptis. Et quidem oblationes ipsam *Aaronis* personam solùmmodo spectabant, ejúsq; per ipsum posteros. Successores enim unctione tantùm consecrati, quemadmodum & illud infrà de ejus filiis mandatum sumi debet. *Lev.* 8.
  4. Descriptis vestibus dum Ministerium sacrum obit induitor, *viz.* femoralibus lineis, tunicâ Balteo accincta, pallio, amiculo cingulâ alligato, Pectorali cum Urim & Thummim, cidari cum Bracteâ seu coronamento aureo. *Exod.* 38. 28. *Lev.* 8.
  5. Nè quenquam mortuum omninò lugeat. *Lev.* 21.
  6. Certâ Ceremonia quotannis semel Sanctum Sanctorum seu adytum ingrediatur, résq; sacras omnes, seipsum, populum expiet. *Lev.* 16.
- **Sacerdotibus inferioribus.**
  1. Corpore integro sunto. *Lev.* 21.
  2. Ritu certo Ministerio sacro addicuntor, *viz.* unctione & oblatione, nempe pro hâc vice; utrúmq; enim postea omissum. *Exod.* 28. *Lev.* 8.
  3. Præscriptâ veste utuntor, *viz.* femoralibus, tiarâ, Balteo. *Exod.* 28.40.
  4. Munia circa Sacrificia obeunto, vinóq; id facturi abstinento; de Leprâ, Zelotypia aliísq; ad Sacra pertinentibus cognoscunto, imprimis ignem jugem super Altare alunto, ad pugnam hortantor populum. *Exod.* 29. *Lev.* 10.9. *Num.* 5.12. *Deut.* 20. *Lev.* 13.
  5. Populo conceptâ formâ benedicunto. *Deut.* 3. *Deut.* 21.5. *Num.* 6.24.
  6. Anno quóq; septimo intermissionis ad festum Tuguriorum legem populo recitanto. *Deut.* 31.10.
  7. Immundi res sacras nè tractanto aut comedunto, quasdam cum Masculis illorum tantùm, alias verò cum aliis quibusdam familiæ personis, tempore item & loco limitatis & præscriptis. *Lev.* 7.15,34. & 6. 16,26. & 22. 1,10.
  8. Mulierem meretricem [זונה] prophanatam seu stupro vitiatam [חללה] repudiatam [גרושה] nè ducunto. *Lev.* 21. De uxore nihil hîc dici mirum, *Jonat. Chald. Parap.* uxorem legitimam cæteris adjecit.
  9. Non nisi valdè propinquos lugento, *viz.* Matrem, Patrem, Filios, Fratrem, Sororem virginem. *Lev.* 21.
- **Levitis.**
  1. Certâ ætate ad munera sua admittuntor, *viz.* ab ann. 20, 25, 30, usq; ad 50. Anno vicesimo Tyrocinium primum posuisse, indeq; leviores quasdam operas discendi experiundíve causâ præstitisse; usq; ad annum tricesimum verisimile. *Num.* 8,24. & 4. 3. *Chron.* 1. 23.
  2. Assignata munera obeunto, *viz.* tentorium conventûs ejúsq; supellectilem portanto, curanto: in Templo autem futuro nihil ab iis faciendum præscribitur, ubi tamen vel Dei monito, vel auctoritate regiâ assidentibus viris Reipublicæ principibus, canebant, alióq; opere fungebantur. Ibid. *Chron.* 1.23. & 24. 31.
  3. Civitates quasdam per omnes Tribus dispersas inhabitanto. Eæ autem erant 48. *Num.* 35.
- **Judicibus.**
  1. Ex æquo & bono statuunto & pronuncianto; nè potenti, néve pauperi causâ & lite favento. *Deut.* 16.18. *Lev.* 19.15.
  2. Nè munera accipiunto. Ibid. & *Lev.* 19. 15.
- **Privatis.**
  1. Sacerdotem in rebus ad cultum spectantibus aliísq; consulunto, eíq; parento. Itidem Judici summo faciendo quod juberet. Magistratui & Principi honorem debitum habento, ab illorum execratione & maledictione cavento. *Deut.* 17.9. *Exod.* 20.

LONDINI,

Impensis *Johannis Wright*, ad Insigne *Coronæ*, Vico vulgò dicto, **Ludgate-hill.** M DC LXXX.

MOSAICARUM
OBLATIONUM
DISTRIBUTIO

Varia iſtiuſmodi eſſe poteſt.

I. Ex cauſâ efficiente
- *Imperatæ.*
- *Voluntariæ:* Cujuſmodi erant Sacrificia feſtivitatis & lætitiæ, Feſto Paſchali præſertim additæ, [שלמי שמחה & חגיגה]: Tales etiam erant Oblationes comparitionis, ſeu קרבן ראיה magiſtris dictæ, ſaltem ratione generis & menſuræ; nam aliqua oblatio lege jubetur, Ex.23.15. Tales denique aliæ, prout cujuſq; ferret animus religione motus.

II. Ex Materiâ.
- *Animantes,*
  - *Homines,*
    - *Sacerdotes.* Etenim *Aharon*, ejuſque filii, Tabernaculi oſtio admoti, & Dei miniſterio ſacrati, *Exod.* 40. *Lev.* 8.
    - *Levitæ.* Hi ſolenni ritu à toto cœtu primogenitorum maſculorum loco per *Aharonem* Deo oblati, *Num. cap.* 3. & 8.
  - *Quadrupedes* ex genere
    - *Bovino,*
      - *Juvencus ſubrumus,* פר בן בקר
      - *Junex rufa,* פרה ארומה
    - *Ovino,*
      - *Aries,* איל
      - *Agnus,* כבש
    - *Caprino,*
      - *Hircus,* שעיר
      - *Capra* ſeu *Hœdus,* עז

      Hanc enim & [קרבן] oblationem dici poſſe puto; aliter ac doctiſſimo *Outramo*, & in iſtis Scriptori diligentiſſimo, viſum eſt, *Libro de Sacrificiis*, 1. *cap.* 4. Quippe cujus ſanguinis coram tentorio conventûs aſperſio, Deo offerendi aliquid ritus haberi debeat, etiamſi ea ipſa nunquam aræ admota fuerit: Id quod in Agno Paſchali manifeſtum; is etenim etiamſi nunquam pro Arâ ſiſteretur, ſed aſperſum duntaxat ſuper altare ſanguinem haberet, & quidem juxta Judæorum nonnullos evaporatum adipem, Oblatio tamen Dei [קרבן יהוה] dicitur, *Num.* 9.
    - *Aſinino.* Imò cujuſlibet animalis domeſtici putà & Cicûris eſui & Sacrificiis inepti. Horum enim, utì & mundorum, primogenita Maſcula Jehovæ ſacra; munda autem ſi integra eſſent Hieroſolymis comedenda, ſin vitium aliquod haberent cujúſque oppido aut urbe; immunda verò, vel parvâ pecude redimenda vel decollanda, *Exod.*13. 12,15. & *Deut.* 15. 19. Neque enim audiendus *Aben-ezra*, qui aſininum genus duntaxat hac lege teneri putat, quoniam *Hebræis Ægypto* exeuntibus nulla præter aſinos jumenta erant ab eâ peſte primogenitorum liberanda; quaſi vero hoc ullatenùs eſſet veriſimile, aut ſi verum eſſet, nulla propterea aliorum jumentorum primogenita in poſterùm Deo ſacranda, cùm ſedibus jam fixis illorum eſſet copia.
  - *Volucres,*
    - *Columba,* יונה
    - *Turtur,* תור
    - *Avicula,* צפור In luſtratione cùm perſonæ tum domus Leproſæ, *Lev.* 14. quanquam hæc Oblatio dici nequeat niſi laxiori ſenſu, quòd viva una, altera mactata, Dei juſſu, ad ſacrum quendam expiationis uſum adhiberentur.
- *Res inanimæ*
  - *Eſculentæ,*
    - *Aridæ,*
      - *Manipulus* [עמר] die 16 menſis primi agitatus, *Lev.* 23.
      - *Fructus Arborum.* quarto anno ab illarum plantatione.
      - *Ariſtæ* recentes, toſtæ & contuſæ, *Lev.* 2.
      - *Simila,* סלת
      - *Thus,* לבונה
      - *Sal,* מלח
      - *Onyx, Aromata, Stacte, Galbanum,* [חלבונה נטף סמים שחלת] quæ cum Thure puro ſuffitum ſacrum [קטורת קדש] componebant, qui bis quotidiè ſupra Thymiaterium incendebatur, *Exod.* 30.
      - Porrò Unguentum ſacrum conficiebatur ex aromatibus quibuſdam בשמים dictis, Myrrha ingenua, [מר-דרור] Cinnamomo, [קנמן בשם] calamo aromatico, [קנה בשם] caſia, [קדה]. Sed nihil hìc oblatum, niſi id oblatum dicas, quod ad uſum ſacrum duntaxat deſtinatum erat.
    - *Liquidæ,*
      - *Oleum,* שמן
      - *Vinum,* יין
    - *Mixtæ,*
      - *Crudæ,* quæ omnibus victimis annexæ, præterquam piacularibus, חטאות & אשמים dictis, etiam τοῖς אשמים, ſeu pro noxa cæſis adjunctas fuiſſe videri poſſit, ex *Lev.* 14.21. Sed ex *v.* 31. conſtat, Mincham in *v.* 21. non ad [אשם] Sacrificium pro noxa, ſed ad [עולה] Holocauſtum columbæ pullum alterum pertinere, eíque annexam fuiſſe.
      - *Coctæ,* Furno, cacabo aut ſartagine, utì panes fermentati in primitias agitati, *Lev.* 23. Item collyræ, lagana, panes fermentati, placentæ, cum Euchariſticis, *Lev.* 7. & in unctione Sacerdotis, *Lev.* 6. 10.
  - *Non Eſculentæ,* utì pecunia; & quodvis aliud in votivis præſertim. Sic Semiſiclorum oblatio eſt, quæ juxta Hebræos anniverſaria & perpetua erat, quanquam, aliter ibid. *Junius* ſentit, *Exod.* 30. 13. Piacularem autem eſſe diſcimus ex *v.* 15. Sic etiam habes Principum oblationes auri vaſorum, &c. in uſum Sanctuarii, *Num.* 7. & *Nehem.* 10. 35. קרבן עצים oblationem lignorum ad accendendum ſuper altare legimus.

III. Ex Adjuncto Abſumptionis. In quibuſdam enim,
1. Partes omnes penitùs conſumptæ. In hoſtiis piacularibus ſummi Sacerdotis & totius populi interiora quædam ad Altare Holocauſti, cætera omnia, etiam pellis & fimus, extra caſtra loco mundo cremata, *Lev.* 4. & in victimis diei expiationis, *Lev.* 16. Atque hæc Sacrificia tantùm, ſi ſtrictè loquamur, Holocauſta appellari debent. Quibus accenſeri poteſt [קטורת סמים] ſuffitus aromatum, qui bis quotidie adolebatur, *Exod.* 30.
2. Tota caro & exta. Ita factum in *Aaronis* olâ ſeu Holocauſto pro ſeipſo, & in victimis quotidianis & Sabbatorum, *Lev.* 9. 12, 14.
3. Interiora tantùm quædam אימורים Magiſtris dicta. Cujuſmodi adeps omnis abdominis, renum, caudæ, reticuli, jecoris, unà cum ipſis renibus, caudâ, & reticulo. Hoc factum in victimis ſalutaribus [שלמים] aliiſque. Item ex fertis omnibus [מנחות] pugillus tantùm igne abſumptus, modò ea demas quæ in unctione Sacerdotis dabantur, horum enim nihil ad epulas ſupereſſe voluit Deus, *Lev.* 6.
4. Nihil. uti in pone facierum לחם פנים appellato.

IV. Ex Adjuncto Perſonæ
- *Publicæ,* pro univerſâ Republica, omnibúſque in eâ cujúſque ordinis, quales erant [עלות שבת & עלות תמיד] Sacrificia, jugia, & Sabbatorum. Itidem victimæ cæſæ in [יום כפור & רשי חרשים] die expiationis, & Neomeniis: imò omnia ſtata & ſolennia Sacrificia, cum cujúſque muneribus & libaminibus, quorum mox ſubjungitur tabella, aliáque pro re natâ oblata.
- *Privatæ,*
  - Pro cœtu Populi aliquo ſingulari, Civitate putà, aut Tribu, *Num.* 15. 24.
  - Pro ſummo Sacerdote, *Lev.* 4.
  - Pro Principe, *ibid.*
  - Pro privato quovis inferioris loci, *ibid.*

Obſervandum ex genere reptili aut aquatili nihil hîc haberi.

Præterea Mel & Fermentum (præterquam in panibus primitiarum) in Sacris prohibita.

Errat ergo *Porphyr.* de abſtinentiâ, *lib.* 2. ubi ex *Theopr.* de Judæis, ſcribit: Ου γὰρ ἐςιώμενοι τῶν τεθέντων: ὁλοκαυτοῦντες δὲ ταῦτα νυκτὸς ϰ κατ' αὐτῶν πολὺ μέλι ϰ οἶνον λείβοντες, &c. *Non enim victimis epulantur,* (falſum hoc, nam in Euchariſticis & piacularibus quibuſdam hoc factum) *ſed eas integras nocte comburentes, multoque melle & vino iis ſuperfuſo, Sacrificium citiùs conſumunt,* &c.

Meritò ſuſpicari licet veterum præſertim Hiſtoricorum fidem de rebus, ſeu tempore, ſeu loco diſſitis ſcribentium.

I. Generalis recognitio & celebratio perfectionum divinarum, *viz.* infinitæ bonitatis, potentiæ, sapientiæ, sanctitatis, clementiæ, *&c.* quòd ille quem colunt Deus sit unicus omnium omninò rerum, omnibus effector, conservator, dator, rectórq; supremus; eidémq; convenientes (venerationis, amoris, fiduciæ, fidei, obsequii,) animi affectus, qualésve eam comitari & solent & debent, tum verò præcipuè benevolentiæ, gratiæq; divinæ precatio. Istiusmodi videntur,

1. עולות תמיד & שבת Holocausta dietim & sabbatatim oblatæ, item Sacrificia Neomeniarum. Holocausta Principum, *Num.* 7. (nam victimæ cùm piaculares tùm salutares præterea immolatæ) & panes propositionis. Erant enim perpetua quædam oblatio. Nec absimili ratione lucernæ nocte semper lucentes, ardénsq; jugiter altaris focus, præter illorum alios ad Sacrum Ministerium usus. Addendus & [קטורת סמים] Suffitus odoratus, qui manè & vesperì super [מזבח לקטורת] altare suffitûs accendebatur; utebatur etiam hoc Suffitu *Aharon*, ad expiandum populum, cohibendámque immissam pestem, *Num.* 17. hunc thuribulo inditum per castra circumferebat.

2. מנחות & נסכים Munera & libamina aliis Sacrificiis, Holocaustis, & Salutaribus annexa, *Num.* 28. & passim. Forte tamen hæc præcipuè in victum & alimentum Sacerdotum offerri jussa.

II. Speciatim magis gratitudo erga Deum propter accepta beneficia, quâ rursus interveniente, agnitio bonitatis divinæ aliarúmque perfectionum continetur. Hæ autem oblationes שלמים vocantur, sive retributiones, sive ad pacem (quæ vox omne genus bona *Hebræis* indicat) interpreteris; erant, inquam, hæ oblationes cùm pro collatis beneficiis, tum pro eâ apud Deum gratiâ, unde non minùs futura bona expectanda, quàm præterita derivata. Hujus generis sunt,

1. נדבות Oblationes voluntariò factæ, seu voluntate liberali profectæ, idque in universum, pro omnibus beneficiis acceptis & accipiendis, eáque divinâ erga se benevolentiâ, unde adhuc plura sperare liceret. Observandum tamen alia Sacrificia præter [שלמים] de Salute facta esse posse [נדבות] seu voluntaria, nam & Holocaustum piaculare voluntariò oblatum habemus, *Lev.* 1.

2. זבחי תודה Sacrificia laudationis, confessionis, agnitionis quorundam certorum beneficiorum insignium, sed non disertè petitorum: talia erant, præter privata, & pro re natâ oblata. [עולות] olæ 7 dierum Azymorum, festique Tuguriorum: ipsum etiam פסח seu Agnus Paschalis erat oblatio eucharistica, in memoriam revocans illustre illud beneficium liberationis ex *Ægypto*. Hùc etiam pertinere possunt manipulus, panes fermentati in primitias, placenta ex Massâ farinacea, fructus arborum quarti anni post plantationem, Aristæ recentes & decimæ; quæ vide suprà.

3. נדרים Oblationes voti, seu votivæ, expressè promissæ, si beneficium unum vel plura nominatim petita darentur, sive id (si ita loqui liceat) esset boni alicujus impetratio, sive mali depulsio: inpræsentiarum nescio hæc commodiùs distinguere. Scio alios isthæc paulò aliter explicâsse. Sed non adeo multùm refert, neque est hic disputandi locus.

V. Ex Significatu, seu Adjuncto rei alicujus in nobis significatæ, quæ deinde porrò attributa divina necessario nexu inferebat. Cujusmodi sunt,

III. Ex parte peccatoris resipiscentia. Explicatiùs autem, (neque enim abs re erit partes præcipuas hîc recensere, utpote ritu aliquo in istiusmodi oblationibus vel directè vel consequenter, utì preces adjungi solitæ docent subnotatas,) (1.) Culpæ confessio & agnitio, aut alicujus rei quæ ad eam consentaneâ aliquâ relatione (ut cum Logicis loquar) referatur; utì causæ (etiàm ignorantiæ & erroris) effectus, *&c.* Aliquid enim ab ipsâ re in hæc sua relata, sive id in laude sive in vitio positum sit, rejici videatur. Interdum fortè nihil amplius ab offerente agnitum videri possit, quam id quod naturæ defectum seu vitium qualecunq; indicabat: eam verò imprimis unde peccandi periculum immineret, quæq; quasi ad culpam propiùs accederet, vel quæ olim alicubi peccasse submoneret, pœnæq; quandam haberet speciem,, (neque enim propter culpam aliquam omnes istas oblationes imperatas putem, utì Judæorum nonnulli sentiunt) cujusmodi est Veneris, cibi, corporísq; superfluitatum excretionis, aliarúmq; rerum indigentia, quæ à viris vel mediocriter sapientibus viles & pudendæ haberi solent. Sic puerperarum, aut sanguinis seminisve fluxum patientium, aut per puram putam adeóq; inculpabilem ignorantiam delinquentium, pro peccatis Sacrificiorum non aliam causam facilè reperias. Utcunque sit, is certè horum ultimus quem respiciebant scopus erat, ut longiùs à vera culpâ abessent Judæi cultores. (2.) Agnitio pœnæ pro culpâ meritò subeundæ, vel professio quædam, se, qui caducum impurúmq; corpus circumferebant, quíq; tantâ naturæ infirmitate, ægritudine, ærumnâ imperfectione laborabant, indignos esse ad quos infinita Dei Majestas respiceret, aut quovis beneficio ornaret, aut suâ dignaretur curâ. (3.) Pœnitentia strictè dicta, seu animi dolor propter admissum peccatum, aut propter aliam naturæ imperfectionem, suiipsius contemptus quidam animíq; demissio. (4.) Veniæ opísq; divinæ petitio. (5.) Melioris vitæ propositum, conatúsve ad perfectiorem vitæ conditionem assurgendi. Cæterùm ex parte Dei (ut illud jam adjiciam) illius sanctissima, vitiis infensa, beatissimáq; natura, ab omni labe omni defectu longissimè sejuncta, resipiscentibus tamen propitia, neque penitùs abjiciens curam mortalium humili conditione degentium. Breviter hujus generis oblationes omnes à Deo imperatæ, eam *præcipuè* ob causam (nam etiam de agnitione aliorum naturæ defectuum aliquid antea notavimus) ut omnibus innotesceret peccatum, & sibi & peccanti, sed pœnitenti graviter displicuisse. Cúmque jam hoc quasi signo in publicum constituto editóq; mortéq; istiusmodi Sacrificiis adumbratâ, meritísq; Messiæ opportuno tempore venturi à Deo prævisis, (neq; enim quicquam id impedit) satis cautum esset nè quid unquam Dei honor aut virtutis causa malis exemplis detrimenti caperet: æquum videri ex animo resipiscentibus veniam dare, commeritámq; avertere pœnam. Enimverò Deum (verbo tantùm hîc dicam) mortalibus qui à se adeóq; ab ipsâ virtute desciverant omnem ad meliorem mentem redeundi opem continuò denegare, sed & reversos veniámq; defectionis sincero animi dolore implorantes quasi caperatâ fronte repellere, æternísq; damnare suppliciis, ad summam universi omni suâ duratione spectati perfectionem & fœlicitatem (insolentiùs scio jam loqui videor) unde omne æquum justúmq; pro captu cujúsq; & comprehensione metiendum ducendúmq; est magis meliúsve conferre, quàm propter sacrificium meritáq; filii Dei omnis culpæ exortis, omni labe puri virtutisq; consummatissimæ peccato adhuc hærentibus resipiscendi gratiam, resipiscentibus autem veniam & salutem indulgere quis crediderit, quis dixerit? Quinimò hâc postrema cum peccatoribus agendi ratione Dei sapientiæ, clementiæ, sanctitatis, honori consultum, mortaliúmq; à pœna & peccato, à vitiis & suppliciis liberationem certiùs effectam, ipsorúmq; etiam Angelorum gaudium auctum, eámq; adeò Deo perplacere, rem ipsam intuenti dubium esse nequit. Id quod pluribus ostendi posset, nisi id à præsenti instituto longiùs abduceret. Sed ut eò redeam unde sum digressus, omnem istarum oblationum, atq; adeò ipsius Christi expiandi vim in eo sitam esse existimo, quòd essent signa notissima, seu quasi promulgatio sententiæ tum Dei tum hominum adversus peccatum ritu solenni latæ; illudq; esse rem humano generi noxiam, neque uspiam à Deo suo totius universitatis imperio impunè grassari (quanquam aliquandiu patientia ferat) permissum iri. Deniq; id satis cuique manifestum, Dei supremum dominium & in omnia imperium, jus leges condendi, præmia pœnásq; cunctis tribuendi, proindéq; ejus potentiam, sapientiam, sanctitatem, benignitatem consummatissimam hâc ratione agnosci; eúmq; adeò omni obsequio, alióq; honore dignissimum.

In hoc genere habentur,

1. חטאות dictæ, h.e. piaculares oblationes, seu ad expianda peccata, cùm per imprudentiam tùm deliberatò & consultò perpetrata; sive Holocausta essent, quorum omnia, præter adipem & exta, extra castra comburebantur, *Lev.* 4. sive ferta ex similâ & thure confecta in re tenui permissa, *Lev.* 5. 11. Notandum & hîc pariter Holocaustum seu עולה piacularem etiam victimam seu pro peccato quandóq; fuisse. Id legimus, *Lev.* 1. 3, 4. & *Lev.* 16. 24. die expiationis.

2. אשמים appellatæ, seu Sacrificia pro noxâ aut delicto, quales in sanatione lepræ, unà cum Sacrificiis pro peccato usurpatæ, *Lev.* 14. unde ab iis distinctæ apparent; & in fraudulentâ negatione rei inventæ aut depositæ, *Lev.* 5. 25. At *v.* 6, 7, ejusdem capitis, [אשם] Sacrificium pro noxâ comprehendere videtur [חטאת & עולה] Sacrificium pro peccato & Holocaustum.

3. Omnes istæ quæ dicuntur [כפר על & בער] *expiare pro* vel *propter*; quarum numero etiam Semisicla oblata (*Exod.* 30. 15.) reponenda. *Moses* precibus suis pro Israëlitis in vituli cultu gravissimè peccantibus se peccatum eorum *expiare* conaturum pollicebatur, *Exod.* 32. Sanè oratio pro veniâ oblatio quædam piacularis commodissimè dici potest. Etenim qui culpam utì oportet apud Deum deprecatur, is preces Deo offert, eundémq; supremum judicem & vitæ necísque Dominum agnoscit, fatetur et dolet se peccâsse & meruisse pœnas, meliora se spondet ope divinâ præstiturum, summum denique honorem Deo sanctísq; defert legibus. Neq; minus hoc ipsum præstant virtutis gesta, suo quidq; loco & gradu, ex sincero in Deum obsequio & amore profecta; eóq; factum, ut *Phinehas* Dei causâ in Idololatriam & Scortationem ardente zelo כפר על בני ישראל *expiationem fecisse propter filios Israelis* meritissimè dicatur, *Num.* 25. 13.

Observandum autem, quò erant oblationes majoris pretii & offerentibus cariores, eò adhuc erant signum & testimonium luculentius gratitudinis, honoris & obedientiæ erga Deum.

Unde & victimæ humanæ apud Ethnicos præstantiores habitæ, sed præsertim si ob virtutem vel cognationem, aliámq; causam essent admodum caræ & adamatæ. Illud jam notissimum. Gallo & Gallâ, Græco & Græcâ sacrificatum à *Romanis* paulò post *Cannense* prælium, & cùm extremum Deorum iram metuerent, utí *Livius* scribit.

Agamemnon filiam *Iphigeniam Dianæ* sacrificare jussus (*Sanguine placâstis ventos & virgine cæsa*, Virg Æn. lib. 2.) propter interfectam ejus cervam; sed in ejus locum alia cerva suffecta. Ita & *Metellus* filiam suam *Metellam Vestæ*, propter neglecta ejus sacra in piaculum mactare paratus: sed miserta Dea buculam in ejus locum submisit. *Plut Parall.*

Victimarum humanarum usus ubíq; aliquando obtinuisse, *Porphyr.* ex Historicis probat, περὶ ἀποχῆς, *lib.* 2. Illud imprimis notandum, *Phœnices* magnis infortuniis aliquem ex charissimis sacrificâsse solitos. A *Græcis* ante bellum & suo tempore *Jovi Latiali* mactatum hominem à *Romanis* idem scribit. *Abrahami* facinus *Isaacum* sacrificaturi celebratissimum. Unde verisimile & Dæmones suis cultoribus, experiundi saltem animos causâ, idem præcepisse. Sed hæc ab aliis fusiùs dicta.

Observandum porrò & has oblationes Deo offerri posse aliorum causâ, etiam illis insciis. De εὐχλικαῖς [optativis] quibus veniam liberorum peccatis à Deo petebat *Jobus*, legimus *Job. cap.* 1. unde satis intelligi potest oblationem, *viz.* mortem, merita, intercessionem ipsius Jesu valere posse apud Deum pro veniâ pœnitentibus seu ad animi sanctitatem conversis, imò & pro gratiâ aliquali convertendis ubíq; omnibus, etiamsi inpræsentiarum nihil de eâ re unquam fando accepissent. Adeo illud *Sancti Johannis* liquidò verum est, *Jesum Christum esse propitiationem pro peccatis totius mundi*; eúmq; usq; adeo Deum hominibus reconciliasse, ut aliqualem favoris & benevolentiæ suæ fructum omnibus impertiret. Malis quidem gratiam, bonis & gratiam & veniam; seu (ut meliùs loquar) malis melioris vitæ salutísq; mediorum aliquid saltem, bonis autem ipsam salutem.

Perpetua,

Perpetuæ; ut panis facierum [לחם פנים] lampadésq; nocte totâ semper lucentes, nisi eas nocturnas, seu singularum noctium dicere malis.
Quotidianæ; ut Holocausta jugia manè & vesperè mactata [עולות תמיד] cum fertis & libaminibus suis uti in reliquis quæ sequuntur. Item [קטורת סמים] Suffitus Aromaticus, qui bis quóq; die, nempe manè & vesperè adolebatur.
Hebdomariæ; cujusmodi singulis Sabbatis cæsa Holocausta, [עולות שבת]
Menstruæ. In Neomeniis, [ראשי חרשים]

VI. Ex Adjuncto temporis

Anniversariæ; in
- Festo septemdiali Azymorum, Festo Paschali additorum. Quanquam verò ipsum Pascha ex primâ institutione illustris beneficii memoriale tantùm videa tamen *Num*. 9. 7, 13. oblationem fuisse [קרבן יהוה] exertè dicitur, eámq; in genere eucharistico cum aliis viris doctis reponendam censeo. tus autem aspergendi sanguinem, adolendíq; adipem, quorum alter 2 *Chron*. 35. 11. legitur, alter verò *cap*. 5, & 6. tract. *Talm. Pesachim* me ratur, vel ex posteriorum usu fuisse introductos putandum est, vel aliquid in legis descriptione quam nos habemus omissum, vel deniq; tradi oni nonnihil dandum. Festum hoc [חג׳ז ימי מצות] Hebraicè dicitur.
- Festo Primitiarum; [יום בכורים]
- Festo Clangoris, seu buccinarum, [יום תקיעה]
- Festo Expiationis, [יום כפורים]
- Festo Tuguriorum septemdiali, [חג הסכות]
- Festo Interdicti, qui septem dies Tuguriorum proximè sequebatur, [עצרת] quo nomine etiam Festum Pentecostes appellant Magistri.

Quovis deniq; alio tempore pro re natâ, seu prout causa incideret, in votivis & voluntariis præcipuè,

Oblationum autem statarum & publicarum seu pro toto populi cœtu præter eas quæ pro re natâ adhibebantur (utì Holocausta & piaculares *Hezekiæ* & *Ezræ*, 2 *Chron*. 29. 21. *Ezr*. 8. 35. & Juvencus de re ignoratâ, Hircus de Idololatriâ cæsus, & vacca rufa,) hæc esto Tabella, ex *Num*. 28, 29.

Animantium genera.	*Tempus.*	*Animantium numerus,* Die	Anno,	*Similæ Ephi partes decimæ in fertum.*	*Olei partes 4tæ Hinni Similâ mixtæ.*	*Vini partes 4tæ Hinni in libamen.*
Agni, כבשים	Singulis diebus Sacrificia jugia dicta	2	730	730	730	730
	Singulis Sabbatis, seu feriis Hebdomadæ septimis	2	104	104	104	104
	Neomeniis	7	84	84	84	84
	Festo Azymorum septemdiali, die 15 mensis 1.	7	49	49	49	49
	Festo Primitiarum, die 50mo inclusivè à die primo Azym.	7	7	7	7	7
	Festo Buccinarum, die 1 mensis 7.	7	7	7	7	7
	Festo Expiationis, die 10 mens. 7.	7	7	7	7	7
	Festo Tuguriorum septemdiali, die 15 mens. 7.	14	98	98	98	98
	Festo Interdicti, die 22 mens. 7.	7	7	7	7	7
			Summa Agn. 1093	*Sum. dec. Eph.* 1093 *seu Eph. integræ* $109\frac{3}{10}$ *Modii Anglic. cir.* 82	*Sum. quad. Hin.* 1093 *seu Integ. Hinni* $273\frac{1}{4}$ *Pintæ Anglican.* 2186	*Sum. quad. Hin.* 1093 *Integ. Hinni* $273\frac{1}{4}$ *Pint. Anglic.* 2186
						Vini par. dimid. Hinni.
Juvenci subrumi, פרים בני בקר	Festo Neomeniarum,	2	24	72	72	24
	Azymorum,	2	14	42	42	14
	Primitiarum,	2	2	6	6	2
	Buccinarum,	1	1	3	3	1
	Expiationis,	1	1	3	3	1
	Tuguriorum septemdiali; hujus autem Festi die	1—13 2—12 3—11 4—10 5—9 6—8 7—7	70	210	210	70
	Interdicti,	1	1	3	3	1
			Summa Juvenc. 113	*Sum. dec. Eph.* 339 *Eph. integ.* $33\frac{9}{10}$ *Mod. Anglic.* $25\frac{1}{2}$	*Sum. quad. Hin.* 339 *Hin. integr.* $084\frac{3}{4}$ *Pint. Anglic.* 678	*Sum. dim. Hin.* 113 *Hin. integ.* $056\frac{1}{2}$ *Pint. Angl.* 452
						Vini par. tertiæ Hin.
Arietes, אילים	Festo Neomeniarum,	1	12	24	24	12
	Azymorum,	1	7	14	14	7
	Primitiarum,	1	1	2	2	1
	Buccinarum,	1	1	2	2	1
	Expiationis,	1	1	2	2	1
	Tuguriorum,	2	14	28	28	14
	Interdicti,	1	1	2	2	1
			Summa Arietum 37	*Sum. quad. Hin.* 74 *Eph. integ.* $07\frac{2}{5}$ *Mod. Angl. ferè* $05\frac{1}{4}$	*Sum. quad. Hin.* 74 *Hin. Integ.* $18\frac{1}{2}$ *Pint. Anglic.* 48.	*Sum. ter. Hin.* 37 *Hin. Integ.* $12\frac{1}{3}$ *Pint. Angl.* $98\frac{2}{3}$
Hirci, שעירי עזים	Festo Neomeniarum,	1	12			
	Azymorum septem dierum,	1	7			
	Primitiarum,	1	1			
	Buccinarum,	1	1			
	Expiationis,	1	1			
	Tuguriorum septem dierum,	1	7			
	Inderdicti,	1	1			
			Summa Hircorum 30			

Singulis agnis Similæ decimam partem ephæ unam, olei quartam Hin, vini etiam quartam Hin, assignavit lex. Arietibus autem similæ duas decimas ephæ, olei duas quartas Hinni, & vini unam tertiam Hinni. Deniq; juvencis similæ tres decimas ephæ, olei tres quarta Hinni, & vini dimid. Hinni. Hircis verò utpote piacularibus sacrificiis nec ferta nec libamina data.

Anni solaris præter lunarem formam & cognovisse & usurpasse priscos Hebræos ex Historiâ diluvii, *Gen*. 7, 8. probabilius videtur. Quin & eam æquabilem ex duodecim mensibus, τριακονθημέροις constantem aliquo ἐμβολισμῷ, (sive is quinque dierum singulis annis, sive unius mensis τριακονθημέρου, post annos sex, sive alius quis erat) intra veri anni Astronomici terminos coercuisse, veri non est dissimile.

In numero agnorum annuo Neomeniarum, 12 tantum menses posui quot erant in anno communi; sed ex ipsa phasium lunæ observatione, si eam sunt secuti, necessariò colligebatur alius mensis ἐμβόλιμος post duos interdum, interdum post tres annos solares intercalandus. Minoris quidem momenti hæc sunt, verbo tamen monere visum est.

Ephum vini seu aquæ 80 librarum, quarum quæq; 12 uncias continet, pondus habere vulgò statuunt Authores. Modium autem Anglicanum totidem libras habere, sed 16 unciarum, experientia comprobat. Est ergo ephus dodrans modii, & 3 modii equant 4 ephos.

Hinnus vini pendere putatur uncias 160. Pinta autem major *Angl.* quam cerevisiæ adhibent pendet unc. 20. ergo Hin. continet pintas *Angl.* majores 8. seu mensuram quam vocamus Anglicè, *Gallon*.

Summa autem omnium in istis Sacrificiis unius anni consumptorum,

Animantium — 1273. Eph. Similæ — $150\frac{3}{5}$; seu Mod. Angl. $112\frac{3}{4}$. Hinnorum Olei — $376\frac{1}{2}$; seu Pint. Ang. 3012. Hin. Vini — $342\frac{1}{2}$; seu Pint. Ang. $2736\frac{2}{3}$.

In hunc porrò publicarum Oblationum censum reponimus, ut temporis ordinem sequamur.

1. לחם פנים panes facierum 12, quorum singulis similaceis duæ decimæ Ephi tributæ. Recentes quâq; hebdomada ponebantur, veteribus Sacerdoti datis. Adeò ut illorum numerus anno uno sit 624, decimarum autem ephi ex quibus conficiebantur 1248, Ephorum integrorum, $124\frac{4}{5}$; modiorum deniq; Anglic. $93\frac{3}{5}$.
2. עמר Manipulum primitiarum Messis Hordeaceæ die Azymorum secundo, seu 16 *Nisan* mensis primi, *Lev*. 23. 16. Ejus (utì Magistri tradunt) siccati primùm, deinde in farinam triti decima Ephæ sumpta mistáq; oleo Thure imposito agitabatur: inde mox desumptus pugillus aræq; impositus adolebatur, reliquum Sacerdotibus cessit. *Majem. Temid.* & *Mus. cap.* 7. Hanc Oblationem sequebatur agnus anniculus in Holocaustum cum ferto similaceo duarum decimarum Ephæ & libamine vini quartæ partis Hinni.
3. Duos panes fermentatos Pentecostes (quorum utervis similaceus ex decimâ Ephæ factus) in primitias triticeæ messis oblatos. His comites dati agni anniculi 7, Juvencus 1, Aries 2, pro Holocausto, suo quidq; ferto & libamine: Hircus pro Piaculo 1, Agníq; demùm anniculi 2, pro salutaribus. Sic habemus, *Lev*. 23. 18. Has autem victimas alias esse ab iis quas eodem die offerri jussas legimus, *Num*. 28. 26. Inde saltem constat, quòd Arietum Juvencorúmq; numerus variet. Nam uno loco *Levit.* habemus Juvencum 1, Arietes 2; at altero *Numer.* Juvencos 2, Arietem 1. Illa *Levit.* Sacrificia erant propter panes Primitiarum [בגלל הלחם] hæc *Numer.* Festi additita, [מוספים] utì notarunt *Ralbag* & *Ra* ad locum, & *Majem.* aliiq; Magistri.
4. In die expiationis Hircos 2, quorum unus erat piacularis cæsus, alter emissarius, [עזאל] pro expiatione Sanctuarii Altaris totiúsq; cœtûs, *Lev*. 16. Juvencum autem piacu... Arietem Holocaustum, quorum mentio fit *v*. 3. utrúmq; pro ipso *Aarone* proindéq; privata fuisse intelligimus. Et quidem de Juvenco disertè hoc dicitur. Aries autem *Ha*locaustum appellatur, *v*. 24. neq; enim illud [עולתו] *Holocaustum ejus* de alio Sacrificio capi potest, utì ab *Ab. Ezra* & *R. Salom.* ibidem observatum est. Porrò Ariete ... cœtu, *v*. 5. ejusd. cap. diversum ab eo quem unà cum Juvenco & agnis 7 in Holocaustum populi habemus. *Num*. 29. 8. quémq; in Tabella suprà posuimus, ex ... alterum illum *Levitici* ex oblationibus expiationis, negotio propriis [מיוחדים לכפרה] fuisse dicunt, alterum vero *Numer.* ex Au... *Majem. Temid. & Mus. cap.* 10. Rectè an secus non est hic discu...

Ritus præcipui in istis Oblationibus Adhibiti, sunt:

1. Præstantissimi ex quoq; genere ad offerendum, delectus; deinde Sacerdotis accuratissima inspectio & exploratio, nè quid vitii lateret. Quod sanè ad honorem & reverentiam Numinis quod colebant spectabat. Nam cuivis negligenti, prophano, avaro, quidvis Deo offerendi licentiam indulgere (neq; tamen sumptuosa valde) venerationem Supremi Numinis admodùm indeceret; eodémq; etiam pertinebat in Sacerdotibus corporis integritas. Sed & præterea hisce forte submonitum (nec obscurè adeò) ad summam virtutis integritatem nitendum esse, perfectissimam animi Sinceritatem Simplicitatémq; adhibendam in offerentibus; Neq; se quicquam vitii in pectore jam cum seipsos per oblationem Deo dicant celare debere.

2. Rei offerendæ adductio ad aram seu ad Sacerdotem, ibidémq; Statio erat, ipsa oblatio rei ab offerente propriâ personâ Deo facta. Erat etiam & altera alicujus partis per Sacerdotem personam offerentis sustinentem Oblatio. Utraq; sui ipsius oblationem in offerente notabant. Quod enim dabat cultor, id ab eo tanquam de se suisq; pars quædam delibata pro toto si quando id Deus postularet quasi pignus aliquod; vel tanquam sui Substitutum aut repræsentamen datum erat.

3. Manuum impositio [סמיכה] Victimæ ad aram Statæ. Hic ritus significabat primò illam ipsam Victimam ad dominum offerentem pertinere, atq; ab eo ad usum à Deo institutum esse destinatum. Deinde porrò indicabat substitutionem victimæ in locum offerentis; vel quòd victima ipsum offerentem, seu aliquid in ipso aut ad ipsum pertinens repræsentaret. Notandum autem hoc uti & alia non esse signa necessaria sed arbitraria, aliqualem tamen consentaneam relationem (uti similitudinis, &c.) ad rem significatam habentia.

4. Mactatio, (in quadrupedibus jugulatio, in volucribus ungue-sectio) significare potuit, Offerentem credere & agnoscere Deum vitæ nostræ Dominum esse, illiq; mitissimè & lubentissimè reddendam quandocúnq; ille vel in pœnam, vel in grati ultróq; parentis animi testimonium, vel in alium quemlibet usum exigeret (nam hic ritus etiam in [שלמים] sacrificiis de salute adhibitus.) Imò & jam adeò verè eam illi à nobis offerri & dari, ac vitam istius Animalis quod nostrum erat. Præterea hic ritus, etiamsi nihil significaret, erat tamen necessariò cæteris præmittendus.

5. Sanguinis aspersio septiès ut plurimùm vel ante velum adyti, ut in חטאות pro Aarone & pro populo (*Lev.* 4.) vel in ipsam rem purgandam & expiandam, uti in expiatione adyti, tentorii, altaris ab immunditiis populi. (*Lev.* 16.) Item ejus effusio ad fundamentum altaris. Ejusdem deniq; illitio cùm rebus, uti altari suffitus in חטאות pro Aarone & populo & altari τῆς ολε seu holocausti in חטאות pro Principe & Privato (*Lev.* 4.); tum etiam personis. Id factum in consecratione Sacerdotum (*Lev.* 8.): Et purgatione Leprosi (*Lev.* 14.), viz. infimæ auriculæ, summísq; pollicibus manûs & pedis. Hæc aspersio Sanguinis coram Deo, ejúsq; effusio & illitio altari distinctiùs & expressiùs significabant fortè vitam adeóq; omnia nobis carissima Deo dari, ut ille pro suâ voluntate utatur: Nam Sanguis vitam indicat Metonymicè; Altare autem Deum Metonymiâ adjuncti, (*Lev.* 17.) Ita coram Deo & ante velum adyti idem sunt, (*Lev.* 4.) Aspersio autem & illitio Sanguinis (qui totus Deo datus antea intelligebatur) personis, primò monère potuit eos jam suos esse & ad se peculiari ratione pertinere. Porrò Deum vitam sibi priùs oblatam restituere offerenti. Et quoniam ab offerente aliquid acceperat & rursus de suo aliquid ipsi dederat, Conversationem, Societatem, Familiaritatem, Amicitiam quandam significari verisimile. Nam Societatis seu Conversationis pars est datio & acceptio. Hi igitur ritus in Sanato Leproso admissionem ad Societatem rursus cum Deo colendam indicabant; Nam antea castris ejectus erat. Pariter in Sacerdotum Consecratione quoniam antea quatenus erant de populo sibi delecto tribúq; Leviticâ cæteris magis Sacrâ ad aliqualem Societatem admittebantur, significatur hoc ritu eos ad propinquiorem jam vocari. Addunt alii Sacerdotes magnam curam doctrinæ, Ministerii, Morum adhibendam monitos fuisse. Societas vero (ut hoc obiter moneam) est conjunctio in relatione logicâ, (causâ effectu subjecto simili, &c.) Ita Duæ personæ Societatem habere dicuntur, cùm sint ambo simul ejusdem effectûs causæ, uti cùm Communi Consilio rem gerant; Item cùm eadem causâ eundem in utrisq; effectum producat. E. C. res eadem utrisq; placeat; Idem velle idémq; nolle, unà habitare, eandem vitæ rationem Sectari, iisdem uti rebus, &c.

6. Partium divisio (in quâ excoriatio) & dispositio super Altare. Notare isthæc omnes nostras facultates & singula quæ ad mentem Corpúsq; nostrum pertinent distinctè Deo Sacranda credi potest. Præterea detracta pellis nè quid sordidi Altare contingeret; dissectum Cadaver ad eximenda viscera quò commodiùs purgentur; divisa membra ut Sacerdotibus portio auferatur: hæc ratio primaria magísq; obvia.

7. Partium lotio & purgatio nostra omnia quàm purissima & perfectissima Deo tradenda significare possunt. Porrò cultum purissimi Numinis Stercoris & sordium super altare per Sacerdotem oblatio neutiquam decebat. Neq; enim unquam (si bene memini) id factum. Fimus & pellis Sacrificiis propitiatoriis seu piaculis summi Sacerdotis & totius populi loco mundo extra castra cremabantur quidem, sed non offerebantur Deo: Néq; integra isthæc cadavera cum fimo & pelle Juvenci & Hirci piaculorum pro summo Sacerdote & populo die expiationis mactatorum. Nam alibi quàm super altare ad ostium tentorii Conventus immolare Sacerdotibus vetitum. Quorum id muneris erat, ut de oblatione primùm ab offerente adductâ & integrè Deo oblatâ aliquid juxta Dei præscriptum ipsi sumerent, Deóq; quasi magis gratum personam Domini offerentis sustinentes rursùs offerrent.

8. Agitatio & sublatio seu elevatio [תנופה & תרומה] distinctiùs & expressiùs personam cui hæc tradebantur notabant. Erat enim תרומה sublatio partis pro toto cœlum versus locum specialis divinæ præsentiæ habitum, תנופה autem quaqua versum ad omnes mundi plagas agitatio. Idq; Deo rursus factum, tanquam omnia possidenti totiúsq; universitatis Domino. Quâ de re ab aliis satis dictum. Qui autem sequitur ritus personam etiam designat.

9. Crematio seu Combustio. Etenim Oblationum in vapores solutio, nidorúmq; evolutio testabantur cultores sentire se sua omnia quemadmodum hanc oblationem Deo vero soli debere; qui etiamsi cuncta suâ vi & mente impleat & pervadat, cœlis tamen cœlorum habitare dici solet, propterea quod grandiora quasi præsentiæ vestigia seu excellentiores potentiæ effectus ibidem cernuntur.

10. Elatio extra castra & ibidem Combustio. Id factum in [חטאות] de piaculo victimis pro Aarone pro populo, &c. (*Lev.* 4. & *Lev.* 16.) & in junice rufa (*Num.* 19.) ex cujus cineribus aqua quæ ad manum semper esset ab immunditiis purgans confecta. Cujus rei ratio primò nè quid sordidi aut spurci Deo dari videretur, uti suprà dictum in partium lotione; deinde significare peccatorem Communione & Societate divinâ indignum esse, eúmq; vitiorum fæcibus adhuc repletum nullam cum eo habere.

11. Comestio, quæ vel Sacerdotum tantùm erat, uti in חטאות victimis piacularibus quibusdam (*Lev.* 6. 19.) & in מנחות festis seu muneribus victimis annexis; vel etiam unà offerentium quemadmodum in שלמים sacrificiis salutaribus factum: Vid. & Confer *Lev.* 7. 5, 24. Sic etiam decimæ secundæ Hierosolymis comedendæ: Anno autem quolibet tertio cum pauperibus domi. Cæterùm hæc comestio rerum sacrarum quæ Dei erant, & in loco aliquâ ratione cæteris magis Sacro Communionem etiam & Societatem cum Deo significat majorem, quàm cum cæteris hominibus. Porrò Sacerdotum participatione Sacrificiorum aliorum sumptibus illorum victui & honori provisum. Ipsis verò offerentibus hoc idem in quibusdam imperatum, ut læto hilariq; essent animo cùm Deum suum gratiarum actione propter beneficia accepta accipiendáve colerent, ejúsq; quasi socios & commensales se viderent, unde porrò paratissimum obsequium præstare pergerent.

12. Hùc addi potest Dimissio Aviculæ in Sanatione Leprosi, & Hirci in die expiationis. Quam Leprosi totiúsq; cœtus Deo obnoxii liberationem ab ulteriori pœna & periculo docuisse vix est ut dubitemus.

Horum rituum alii alias significationes Symbolicas & quidem fortè magis aptas reperire aut probare possunt eásq; persequi minutius. Suo fruatur quisq; judicio. Omne id quod Deus istis Ceræmoniis significatum voluit, earúmq; causas nobis certè (quicquid *Mosi* Prophetis aut istiùs Sœculi Judæis forte notum) conjecturâ tantùm dici queat: aliquid tamen istiusmodi subfuisse magis verisimile. Idq; imprimis quoniam in Sacris istis Cerimoniis valdè congruum videtur præter illarum in cultu externo usum rude & sensibus immersum vulgus similitudine quadam aliâve χέσει aut relatione rerum sensibilium ad memoriam & intellectum aliqualem rerum Spiritualium duci, ubi tamen apud nos prudentiâ opus est delectúsq; adhibendus, ita ut numero sint pauci, simplices, familiares, significatu certi facilésq; adeóq; adjunctis verbis, &c. qualiter in Christiano, cultu constitutum est. Deum autem si aliter fecisse, si ritus numerosos, obscuros, operosos, splendidos pro tempore constituisse aliunde satis constiterit, cum omnes loci, Cœli, soli, ingenii, morum, accolarum aliásq; Circumstantias, imò omnia mundi Sæcula providentiâ complectatur, id rectè & sapienter constitutum & ad optimum rerum Universi Statum administrationémq; facere credendum est. Deinde omnibus Religionibus hoc usu venisse liquet, & quidem in Religione Christianâ quæ omnium maximè externorum rituum parca est résq; purè Spirituales [νοητὰς] quæ ad mentem Deúmq; pertinent & intellectu tantùm capi possunt nudè & apertè docet & proponit idem factum videmus. Nam in Baptismo in intiationis in Sanctissimam Religionem ritu, immersionem & emersionem Christi Sepulturæ & Resurrectionis, nostræ deinde ad peccatum mortis, & ad vitæ Sanctimoniam resuscitationis nos monère, eorúmq; figuram & speciem quandam habere docuit Apostolus. Imò sanè Sacram Domini cœnam istiusmodi mysticis sensibus repletam novimus. Nam panis & vinum Corporis Sanguinísq; Christi Symbola sunt. Eorundem fractio & effusio Corporis vulneribus confossi fusiq; Sanguinis nostri causâ Deiq; jussu, adeóq; etiam erga Deum pietatis erga homines caritatis pariter sunt Symbola. Panis viniq; manducatio & potatio iisdemq; Corporis Nostri nutritio, manducationis potationísq; Spiritualis Corporis Sanguinísq; Christi iisdemq; animæ nutritionis rursus Symbola existunt. Spiritualis autem seu per fidem (uti loquuntur) manducatio Corporis Christi (ut hoc obiter hic ponam) nihil aliud est quàm de morte Christi ejúsq; causis, effectis, beneficiis aliisq; quæ ad eam pertinent assensus fidesve firma & expressa, & meditatio fixa magis & diuturna convenientibus animi admirationis amoris aliisve affectibus. Cujusmodi sunt inprimis Christi egregia erga Deum patrem obedientia, erga homines caritas, patientia, mansuetudo, animi constantia & tranquillitas, aliæq; omnes in isthâc morte fœdâ elucentes virtutes, qui ut dictis salutaribus fidem faceret, ut se tanquam victimam hominum causâ Deo offerret, ut iis exemplo præiret, ut in patrem obsequii virtutisq; absolutissimæ meritis Dei gratiam peccatoribus conciliaret, eosdémq; perperam factorum pœnitentiâ ductos ad immortalis fœlicitatis consortium perduceret, eam ex proviso lubentissimè pertulit. Hinc porrò intelligere facile est *Corpore Christi animas nostras nutriri*, id sibi velle, nempè harum rerum & similium fide & meditatione unaq; cœlesti gratiâ illabente Dei Christi proximi etiam inimici amorem, imò Sanctitatem Universam virtutesq; omnes, conscientiæ tranquillitatem, solidum gaudium, exultantem spem, indéq; natam vivacitatem quandam animis nostris ingenerari, conservari, augeri. Id quod quisq; bonus hâc in parte officio probè functus compertum habet. Atq; ità tandem hâc commodâ explicatione fit ut Corpus Christi reverà (ὄντως & ἀληθῶς) animas nostras alat, ejúsq; Corpus & Sanguis verè nobis cibus potúsq; sint quales animarum esse possunt. Sed de his hoc in loco satis. Ad hæc rem unam plurium simul rerum Symbolum esse interdum videmus: ità panis in Cœnâ dominicâ cùm Corporis Christi naturalis, tùm Mystici seu Ecclesiæ Symbolum dicitur, partiúnq; in eo distinctio & unio, Membrorum totius cœtus Christiani nominis mutuis officiis & caritate in unum coalescentium. Postremùm deniq; quod Symbolicos sensus suadet illud est, ritus nempè quosdam in cultu judaico usurpatos fuisse, quorum nulla alia satis idonea ratio reddi potest. Cujusmodi sunt תנופה agitatio, Aviculæ Hirciq; dimissio, Sanguinis aspersio, ejúsdemq; rebus & personis illitio, &c. Symbolum verò (paucis hoc addam) est res quæpiam verbis primò significata, ipsa deinceps rem aliam χέσει seu respectu quodam *Similis Causæ effectûs adjuncti*, &c. significans, signiq; quoddam genus est. Signum autem eam rem dicimus (verba jam res appello, soni enim & literæ sunt) quam unà secum rem aliam trahere mentiq; sistere, sive naturâ sive instituto observamus.

Illud autem & omninò verum arbritror omnem sacrificiorum apparatum, potissimámq; exterioris cultus partem eò imperatum ut populus, uti anteriora erant hominum sæcula, rudis religione divinitus traditâ contineretur: animósq; ideò occupatos splendido & operoso cultu in genere quidem simili, at in particularibus circumstantiis sæpius planè opposito cultui vicinarum gentium, quarum nonnullas opibus armis aut artibus florentes honorificum erat imitari, nè ad illarum Religiones transirent, adeóq; tandem in stupidam veri Dei ignorantiam stolidissimos errores morésq; turpissimos prolaberentur. Etenim meliora sunt puerilia quàm turpia, minoris pretii & usûs, quàm prava. Ea autem alicujus usus habenda sunt quæ peccandi ansam præripiunt & ad pejora prohibent lapsum. Sic pueris turbines indulgemus nè & sibi & aliis noxia discant. Quo consilio nihil erat opus cum Christus suam Religionem institueret. Nam uberiore & veriore rerum cognitione nempe divinæ naturæ, providentiæ vitæ futuræ, ipsiúsq; virtutis imbuti ubiq; homines simul ac sanctissimam & θεωρητικὴν Christi disciplinam audiebant creaturarum cultum, indéq; morum spurcitiem facilè temnere & de ridiculo habere inducebantur.

Paucula quæ ad hanc tabulam spectant habet lector in præfatiuncula primæ præceptorum tabulæ præfixa.

LONDINI,

Impensis *Johannis Wright*, ad Insigne *Coronæ*, Vico vulgò dicto, Ludgate-hill. MDCLXXX.

Dogmata Christianæ Religionis apte (uti mihi videtur) eoque Ordine quo & Intelligi & Disci debent, distribui possunt in----

- I. (*a*) Vitæ morumq; Præcepta.
- II. Ea quæ ad illorum observationem quovis modo conferant aut inserviant.

Illa autem præcepta sunt vel

1. Quæ proximè respiciunt Actionem habitúmq; Voluntatis circa Finem, eúmq; ultimum. Hæc autem Intentio seu Concilium dici solet.
2. Circa Media ad eum Finem (*b*) assequendum, quæ Factum dici potest: Idq; vel Voluntatem disponendo ad eum volendum, vel proximè eum ex parte alicubi efficiendo.

Quorum illa præcepta (*c*) Primaria, hæc vero Secundaria appellamus.

Primaria autem sunt vel

1. Generatim proposita, variisq; nominibus & Phrasibus significata.
   - Nimirum, ad Rectitudinem, Justitiam, Probitatem, Honestatem, Sanctitatem, Virtutem, Decus omne laudemq; voluntate ferri & inclinari, Deo servire, ejusq; voluntatem facere, *Spiritu vivere & ambulare*; idq; sincerè, summis animi viribus, semper & perpetuò. Unde tres Virtutis (neq; plures dari possunt) oriuntur Perfectiones.
     - 1. Integritas seu Sinceritas. 2. Zelus. 3. Constantia.
     - *Opposita prohibita.* 1. Insinceritas, seu mixtura quædam, seu coordinatio alterius Finis. 2. Animi Languor aut Tepor. 3. Interruptio, Inconstantia, Apostasia seu Defectus.
     - *Phil.* 4. 8. *Mat.* 5. 6. *Heb.* 12. 12, 13, 14. 1 *Pet.* 1. 14, 15. *Phil.* 1. 10. *Heb.* 10. 30. *Rom.* 12. 11. *Heb.* 12. 21. *Galat.* 5. 25.
   - Hoc verò si factum non sit, curare ut in Posterum fiat. Hoc est quod dicitur.
     - Rescipiscere, Renovari spiritu mentis, Regenerari, Ad Deum converti, Deponere veterem & Induere novum Hominem, &c.
     - Impœnitentia.
     - *Mat.* 1. 13. *Acts* 5. 31. & 17. 30. & 3. 26. *Joh.* 3. 3. *Tit.* 3. 5. *Ephes.* 4. 23. *Rom.* 2. 5.
2. Speciatim tradita, quæ simul docent quâ in re consistit generalis ista voluntatis probitas & Rectitudo. idq;
   1. *Positivè.*——(*f*) Ut quisq; pro suo captu & comprehensione, finem ultimum sibi præstituat *maximum universi bonum:* perfectissimam nempe totius Constitutionem & fœlicitatem, tanquam infinitæ istius Societatis particula quædam perexigua; propriæ tamen curæ & diligentiæ, utpote sibi proxima & commodior Provinciola administranda imprimis data. Ut id nobis in rebus expetendis summum videatur, quò omnia vivendi Consilia referantur; Deóq; similes cuncta simul amore complectamur. Hinc prima & unica Virtus generalis cæteras omnes ambitu suo concludens erit.
      - Παμφιλία, seu Universi Amor.
      - Partis alicujus studium, seu (cusa voce nova) Partialitas, minùs apte προσωποληψία, analogice satis μερολῆψία dici potest.
      - 1 *Cor.* 10. 32, 33. 1 *Pet.* 4. 2. *Mat.* 22. 37, 39. 1 *Joh.* 4. 21. *Rom.* 15. 1, 2. & 13. 8. 1 *Cor.* 16. 14. & 10. 24. *Phil.* 2. 12. *Tit.* 2. 12.

      Cúmq; hoc Summum Bonum tribus partibus efficitur, quæ revera nunquam separari possunt; nempe ex eo quod Deo placeat ejusq; honori cedat, quod proximo prosit, quod nostrâ maximè intersit, tres etiam habemus Virtutes Primarias & ratione Effecti positivas quæ ritè appellantur.
      - Pietas, Caritas, Nostri Amor prudens & Honestus.
      - Impietas, erga Deum malevolentia. Proximi odium, negligentia, aut etiam cujuspiam Amor nimius. Deniq; erga nosipsos Amoris aut Defectus (si Natura hoc patitur), aut excessus qui φιλαυτία dicitur.
      - 2 *Tim.* 3. 2.
   2. *Negativè.* Ne quis ergo Partis alicujus bonum, commoditatem, jucunditatémve separatim aut ultimò velit: aut in actionibus proponat sibi finem.

      Ea autem pars est vel --
      1. Quælibet alia præter nosipsos, uti Conjuges, Parentes, Liberi, Amici, ipsáq; adeo Viris præcipuè fortibus & Principibus carissima Patria. Nam & inter ipsas Respublicas Justitia coli debet. Quo enim quisq; sit altioris & generosioris Indolis, eo semper & cura ejus latior, & caritas diffusior. Huic autem non ultimò studere, sed talem & Dispositionem & Actionem respuere & rejicere, longiùs adhuc prospicientem animum, usq; ad finem ultimum Bonorumq; summû, dicitur Barbara voce sed significanti.
         - Impartialitas aut Integritas.
         - Partis studium, aut (venia verbo) Partialitas, Προσωποληψία.
         - 1 *Cor.* 10. 32, 33. *Acts* 10. 34. *Rom.* 2. 10. *Gal.* 2. 6, 14.
      2. Vel nosipsi. Privatum autē propriumve bonum nostrū tanquam ultimum finem nolle & rejicere, est *sui Abnegatio*, seu ἀυταπαρνία; cui opponitur φιλαυτία, seu Amor nostri nimius, h. e. inordinatus & immoderatus. Cúmq; omnia, nostra bona quæ voluptatem seu lætitiam Animo (quò unicè ea referri puto) parere solent, ad sex Capita ferè reduci possunt, tot indè exurgent ἀυταπαρνίας genera, & Virtutes negativæ, totidemq; etiam φιλαυτίας, & Vitia positiva.

         Ea autem bona sunt——
         1. Adeptio & Possessio alicujus Boni in genere, præsens vel tanquam præsens spectata. Perfrequenter enim illud animadvertere licet, quòd animus non descendat ad preceptionem distinctam ejus quod in re aliqua placet, sed confusâ quadam opinione & existimatione Boni contentus eâ fruatur. Hanc autem uti minutum & angustum quid repudiare, nec in eo subsistere, sed ad verum ultimum finem referre, cujus jam sæpè mentio est superiùs facta, generali tantùm ἀυταπαρνίας seu ἀυταπαρνήσεως *sui Abnegationis* nomine appellatur.
         2. Jucundæ quædam Corporis commotiones, seu sensuum voluptates & Oblectamenta. Quarum magis notabiles appellantur Gula, Libido, quæ sunt ex visu Auditu, Olfactu, deniq; ex Corporis exercitationibus, temperamentis, Passionibus. Hasce autem non propter se tantùm expetere, sed propter eum ultimum finem, hæc habet virtutum nomina. (1.) Generalis ista continentia, moderatio, temperantia, quæ ab omnibus istis corporis voluptatibus animum abducit, alióq; dirigit. Spiritualitas etiam vocatur. (2.) Temperantia restrictior, quæ voluptatem cibi Potionisq; aliò refert. (3.) Castitas quæ obscænas regit voluptates. (4.) Deniq; sobrietas quæ reliquas moderatur, vel siquæ sit vox quæ isthæc aptiùs significet. Vitia autem hisce opposita sunt, (1.) ἀκρασία seu Intemperantia, Incontinentia. (2.) Gula, Voracitas, Ebrietas. (3.) Impudicitia, Impuritas. (4.) Luxus in Canticis, Choreis, Ludis, Spectaculis, Domûs supellectili, Corporis cultu, aliisq; propè infinitis; quanquam hæc vox latiùs etiam patêre solet, omniumq; etiam corporis voluptatum usum inordinatum & immoderatum significatione complecti.
            - 1 *Joh.* 2. 16. *Eph.* cap. 4, & 5, & 6. *Gal.* 5. 19, &c. *Rom.* 13. 13. *Colos.* 3. 5. 1 *Thess.* 4. 3, 4, 5. 1 *Pet.* 4. 3. & 1. 2. 11. & 2. 1, 4, 6. *Rom.* 6. 12. 2 *Tim.* 3. 4, &c.
         3. Voluntatis Executio seu Expletio, ut quod libet fiat, quod volumus effectum detur. Hujusmodi autem distributiones ex efficiendi Instrumentis, aut subjectis exemplis, aliis ve rationibus petitæ (nam accurata horum Tractatio non est hic instituenda) quæq; Nov. Testamento occurrunt, istis fere Nominibus significari possunt. (1.) ὑπεροχὴ, ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων, eminentia in re qualibet quæ in laude poni putatur. (2.) Equalitas saltem, aut paritas. (3.) Magistratus, Dignitas, Dominatio, Imperium. (4.) Libertas, seu Potestas vivendi ut velis, facere quod libet, non esse alterius voluntati aut Imperio subjectum. (5.) Honor, Gloria, Hominum Existimatio, Caritas, Cultus. (6.) Divitiæ uti summum potentiæ adjumentum. Hæc autem omnia, eamq; voluptatem quæ ex illorum fruitione percipi solet, non propter se tantùm expetenda ducere, sed in ultimum finem, viz. Dei Gloriam, Aliorum commodum, nostramq; salutem adhibere; voce Prophanis Scriptoribus penè ignota ταπεινοφροσύνη seu Animi *Humilitas* dicitur, vitiumq; contrarium *superbia*. Quæ vero huic generi subjiciuntur (quorum multa fortè omisimus) non (*g*) semper propria obtinent nomina. Ea sunt Humilitas, Moderatio, Modestia, Contentatio. Quibus opponuntur vitia, superbia, μεγαλαυχία, inanis gloria, Ambitio, Avaritia.
         4. Animi Dotes vel Naturâ genitæ, vel usu acquisitæ, vel Gratiâ infusæ, sive Intellectum sive Voluntatem, sive denique quamlibet aliam animi facultatem spectant; illarumque & operationes, & Vis, & Vigor, aliæque Perfectiones; harum deniq; Effecta & Opera. Neque in his quidem ultimò gloriari aut quiescere Animum, sed tanquam Dei Dona ad istum sæpe memoratum Finem referre, generali tantùm *sui Abnegationis* nomine innotescit. Cui id Vitii *contrarium* esto, quod item generaliter Sacrâ Locutione dicitur *seipsum quærere, aut propriam gloriam, aut utilitatem, aut voluntatem.* Tot etiam hic distingui & numerari possunt virtutes quot Dotes.
            - *Mat.* 11: 29. & 23. 5. 1 *Pet.* 5. 5. *Phil.* 2. 3. *Gal.* 5. 26. *Col.* 3. 12. 1 *Cor.* 12. & cap. 13. & 14. 12. 1 *Cor.* 10. 24, 33. *Joh.* 5. 30, 41. 1 *Pet.* 4. 10, 11.
         5. Sunt deniq; adhuc fortè durissima & pessima omnium Ingenia, quæ aliorum malis libenter gaudent; quibus etiam aliorum tormenta & Gruciatus spectare, ludus est: sed talem voluptatem penitùs aspernari & horrere Caritas & Humanitas; cupere aut capere pura puta est Malitia; & ubi mala sunt gravissima Crudelitas. Et quidem invidia dirum hunc Animi morbum, ac etiam superbiam in se continere, vel hisce ortum suum debere videtur.
         6. Multa sunt ex hisce mixta & composita, imò ferè omnia quibus fruimur bona. Ita quidem ipsâ Gloriâ mirifice quosdam capi videmus, & quòd eam magnum aliquod supra cæteros homines bonum se nactos Argumento esse imaginentur, & quod eâ ad plurima adhuc se uti posse putent. Quæ nobis primum & tertium bonorum capita sunt. In Ludis etiam scenicis, & Theatri splendor, & Histrionum Ornamenta sensibus blandiuntur; & Poetæ, & Actorum Ars & Ingenium, aliáq; simul delectant. In Conviviis & Compotationibus & Palati jucunditas, & Corporis firmitas & Robur, & Ingenii Linguæq; promptitudo placere solent. (*h*)
            - *Rom.* 1. 29. *Gal.* 5. 21, 26.

Tab. 3.

Præcepta secundaria quæ objectum habent

II. Jesum Christum θεάνθρωπον, Mediatorem, Prophetam postremò nobis à Deo missum.

	Fugienda ergo hæc sunt quæ istis Opponuntur Præceptis, uti	
1. Illud imprimis nobis præceptum est, ut credamus Nomini Filii Dei Jesu Christi. Illum nempè *Jesum* esse magnum & illustrem istum Messiam nobis per Prophetas antiquos prænunciatum & promissum, & tandem tempore opportuno à Deo missum, cui in omnibus quæ Dei nomine docuit, declaravit, præcepit firma adhibenda fides, integráq; obedientia præstanda.	1. Ullum unquam Christum seu Messiam, aut fuisse, aut esse; aut si talis sit, eum jam in carne venisse, aut deniq; *Iesum Nazaræum* istum Messiam fuisse negare.	1 *Joh.* 3. 32. *Joh.* 6. 29. *Mat.* 17. 5. 1. *Pet.* 1. 10. *Act.* 7. 37, 52. & 3. 22, 34. 1 *Joh.* 4. 3.
2. Eundem *Jesum* Dei Filium honorare, amare, colere; cùm propter Divinæ Naturæ perfectiones, tùm, uti oportet, propter summas Humanæ suæ Naturæ Dotes.	2. Aut infesto in *Iesum* animo illum Anathema dicere, ejúsq; Divinos Sermones mirandáq; opera hominis malè sani, vel etiam Dœmonio infessi, aliáq; id genus impuro ore, uti Judæi olim hodiéque, aliiq; Infideles, oblatrare.	*Joh.* 5. 23. 1 *Cor.* 12. 3. *Joh.* 10. 20. *Mat.* 12. 24.
3. Illius Nomine Deum precibus adire, illiúsque, quâ apud Deum pollet, propter sui ipsius Oblationem, Vitæ mortísq; merita gratiâ fretos, resipiscendi voluntatem & vires nobis primùm ut indat; deinde verè resipiscentibus, mutatáq; animi sententiâ, peccata omnia ut deleat, quicquid deniq; nobis opus fuerit, quódq; justè & honestè cupiamus, ut nobis largiatur, & summissè rogare, & lætabundo animo accipere.	3. (a) Orare Deum per neglectum aut contemptum, nullâ Christi habitâ ratione; utpote vel Infideles, vel propriæ Dignitatis opinione arrogantes & tumidos; vel aliorum nomine utentes, sanctorum putà aut Angelorum, illorum apud Deum meritis confisos.	*Coloss.* 3. 17. *Joh.* 16. 23, 24. *Ephes.* 5. 20.
4. Gratissimum indè semper adversus eum qui tantorum beneficiorum Humano Generi Autor fuit, animum circumferre.	4. Beneficia vel non agnoscere, vel illorum sensu non tangi aut moveri pectus.	1 *Cor.* 16. 22. *Eph.* 6. 24.
5. Quin tot ejus tantáq; in nos merita, tot Virtutum & mirandorum Gestoram Gloriam, mortem verò præcipuè fœdam, ignominiosam & horribilem nostri causâ sponte aditam & toleratam, ritu solenni commemorare & celebrare Hymnis.	5. Sanguinem Christi, quo novum Dei cum hominibus fœdus sanciebatur, communem habere; quasi is licet vir probus & innocuus, frequenti tamen bonorum fato indignâ morte ab Inimicis tantùm peremptus fuisset, aut sceleratus crucis supplicium fuisset commeritus. Indéq; etiam (non mirum) Cœnam Domini in suam memoriam institutam temnere, saltem negligere.	*Luc.* 22. 29. 1 *Cor.* 11. 24. *Heb.* 10. 29.
6. (b) Eundem, quanquam & dira indignè ab hominibus passum, & cruce necatum, ab Inferorum tamen statu reductum, in Cœlos assumptum, & ad dextram Dei locatum, utpote summam Cœlísq; Terrísq; secundùm Deum Potestatem jam adeptum, sempérq; Divinitati inestabili ratione conjunctum invocare.	6. Nec eum tanta in Cœlis potentem credere, adeóq; nec ejus favorem poscere, nec requirere opem.	1 *Joh.* 5. 14. *Joh.* 14. 13. *Act.* 7. 59. 1 *Cor.* 1. 2.
7. Omnibus deniq; illius Nomen ferentibus eò nitendum, ut illius Vitam sanctissimam prorsúsq; inculpatam imitentur, spiritum morésq; penitùs induant.	7. Neque ad ejus Vitæ morúmq; in terris exemplum se componere, sed quasi esset vel humile, vel excelsum nimis, vel imitatu indignum, vel impossibile, vel saltem plùs satis arduum nunquam intueri.	*Rom.* 13. 14. 1 *Cor.* 11. 1. 1 *Pet.* 2. 21.
8. Antequam hasce terras relinquebat, ab eo Apostolis suis mandatum, ut eos qui se illum Messiam credere, & Institutis suis parituros profitebantur, in Societatem, *Ecclesiam* dictam colligerent, Baptismiq; ritu cooptarent; Cunctis deindè cujuscunq; Gentis mortalibus ad quos ejus Nomen Cœlestísq; Doctrina perveniret, ut eidem Ecclesiæ eodem ritu se palàm adjungerent.	8. (c) Ecclesiam autem suam quam Discipulis Apostolis constituere mandavit, vel contemptim palam rejicere, vel timidè clam deserere, vel sive vi, sive dolo, subruere velle & perdere, vel justis Privilegiis spoliare.	*Mat.* 28. 19, 20. *Act.* 2. 38. & 3. 19. & 8. 3. & 9. 1. & 10. 48. 2 *Tim.* 2. 12.
* Omnia isthæc in Iesum Christum officia, *Christianitas, Fides*, aut *Evangelii Obedientia* fortè appellari possunt.	* Hæc autem propria Christianæ Disciplinæ Officia aut negare, aut negligere, aut aspernari *Infidalitas*, Evangelio *Inobedientia* nominari solet.	

III. Proximum.

1. Justitia exerceatur accuratè, seu suum Cuiq; tribuatur.	1. Injustitia, Injuriam cuivis inferre, aut illatam non propulsare.	*Rom.* 1. 21. & 11. 2. *Colofs.* 3. 25. *Tit.* 2. 12. 1 *Thess.* 4. 6.
2. Unusquisq; quámq; creaturam ratione utentem etiam inimicum diligat sicut seipsum; illi eidem benè velit, & benefaciat animo, corpore, existimatione, facultatibus; meriti verò, Propinquitatis, amicitiæ, societatis, adeóq; Ecclesiæ, ratio habenda, prout maximè publicum bonum, quod omnia in singulos officia regere & circumscribere debet, postulaverit.	2. Malevolentia & maleficentia, cuiquam quicquam malè velle aut facere, nisi id majoris boni gratiâ alicubi planè necessarium fuerit.	*Mat.* 5. 44. & 19. 19. & 22. 39. *Rom.* 12. 20. 1 *Thess.* 5. 15. 1 *Pet.* 2. 17. 1 *Joh.* 3. 18.
3. Oportet etiam alterius bonâ malâve sorte nos compati; gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, undè ad opem ferendam erimus paratissimi.	3. Animi Durities quædam, seu ἀσπλαγχνία, ἀνελεημοσύνη, quasi aliorum res seu adversæ, seu prosperæ nihil prorsus ad nos pertinere deberent.	*Rom.* 1. 31. & 12. 15. *Coloss.* 3. 12.
4. Bona omnia pro omnibus, æquè ac pro nobis ipsis, à Deo precibus efflagitare; illorúmq; nomine Gratias reddere debemus.	4. Ideóq; adeò nihil boni illis apprecari, ut contra mala interdúmq; dirissima quæque imprecemur.	*Rom.* 12. 14. 1 *Tim.* 2. 1. *Jac.* 3. 9. & 5. 16.
5. Porrò instituere, docere, monere, reprehendere, hortari, solari, prout res feret, quisque tenetur.	5. Neque horum officiorum quicquam nobis curæ esse.	*Eph.* 5. 11. 1 *Thess.* 5. 14. & 1. 4. 18. & 2. 3. 16.
6. Nè verò sine causâ quisquam irascatur alicui, neque facilè injuriis moveatur; sed longanimis, mansuetus, clemens, placabilis esto: minùs multò infirmitalibus aut Defectibus alienis, præsertim iis quæ in nostrâ potestate vel omninò non sunt, vel difficillimè restituuntur, aut succenseat aut irrideat; sed eas potiùs leniter & cum æquitate ferat, & corrigere studeat.	6. Iracundia, Vindictæ cupido, Rigor, Implacabilitas.	*Tit.* 3. 8. *Heb.* 3. 13. *Rom.* 1. 31. & 12. 19. & 15. 1. *Matt.* 18. 22. *Gal.* 6. 1. 1 *Tim* 6. 11.
7. Pudeat autem ut quæ hominis, penè dixeram, Pecudis, Virtus sit, à Christiano negligatur, *Gratitudo*; neque quenquam justam ob causam pœniteat collati in nos Beneficii.	7. Et quod plusquàm Belluinum sit, acceptis Beneficiis nec referre, nec habere gratiam.	2 *Tim.* 3. 2.
8. Ægroti, infirmi, &c. invisendi, juvandi; Viduis, Orphanis, Egenis, omnibus utiq; ope nostrâ indigentibus pro viribus subveniendum; Divitumq; etiam opes augendæ aut conservandæ.	8. Miseris & egenis non modo non opitulari, sed & insultare & graviùs opprimere: opulentis autem, & ampliori fortunâ utentibus, licet eâ non minùs fortassè quàm alii sua tenuitate digni sint, invidère.	1 *Cor.* 13. 4. *Jac.* 1. 27. & 2. 16. & 5. 1. seq.
9. Cujúsq; honori & famæ consulatur; atq; adeò danda opera, ut verum semper de eo sentiamus, facta probemus, aut candidè interpretemur, aut celemus, aut excusemus animo & verbis, quantùm prudenter & honestè fieri potest.	9. Accusatio falsa, vel temeraria & prompta, convitia, calumnia, detractio, celare quod laudem, exaggerare quod reprehensionem mereatur, suspiciones iniquæ, aliorum Defectus notandi studium, aliáque.	1 *Cor.* 13. 7. 1 *Tim.* 6. 4. & 2. 3. 3. *Rom.* 1. 30. 1 *Pet.* 2. 17. & 1. 3. 9, 11. *Jac.* 4. 11.
10. In Conversatione adsit facilitas, in Colloquiis & congressibus Comitas, in minoribus Officiis, ad ea cuiq; reddenda Promptitudo, vulgò Civilitas.	10. Difficultas, Morositas, Rusticitas.	*Gal.* 5. 22. 2 *Tim.* 2. 24.
11. Sed & magno studio unitas & Concordia conservanda & tuenda, eadémq; cum aliis præsertim quibuscum vivimus & versamur, sentire, & probare & agere, quantùm per veritatem, Pietatem, diffusiorem Caritatem licuerit; Quæ autem Discordiam pariunt, uti Contentiones, eâdem ratione vitanda.	11. Contradicendi libido, datâ operâ ab Aliis in Opinionibus Factísve discedere.	1 *Cor.* 1. 10. & 2. 13. 11. *Rom.* 12. 18. 1 *Tim.* 6. 4.
12. (d) Societati etiam Civili, quin & Ecclesiasticæ unusquisq; se adjungat, ibidemq; vel Leges constitutas observet, vel Pœnas patienter ferat.	12. Ἀναρχίας Studium, Factio, Seditio, Rebellio, jure Imperantium aut Regentium locum & Autoritatem aut Vi aut Dolo occupare, Schismata injusta facere, factísve favere.	*Rom.* cap. 13. *Gal.* 5. 20. *Tit.* 1. 10. *Heb.* 13. 17.

Tab. 4.

Praecepta secundaria quae Objectum habent

IV. Nosipsos

Praecepta	*Procul igitur habenda aut amovenda sunt hæc.*	
1. Ad suprema maximáq; bona aspirandum nitendúmque, atq; adeò ad ea quæ latissimè patent, vehementissimè placent, constantissimè adsunt, longissimè durant. Undè & Publica Piratis, Spiritualia Corporalibus, Cœlestia terrenis, Æterna Temporariis præferenda. Hæc magna & excelsa animi Indoles, rectè appellari potest μεγαλοψυχία, seu magnanimitas. Undè oritur rerum omnium humanarum qualiter in hac vitâ haberi possunt, quarúmq; inter homines falsa & stolida opinio plerumq; minuenda est, Despicientia & Contemptus. Hujus generis sunt Gloria, Imperium, Potentia, Opes, imò & scientia nostra omni ex parte valdè imperfecta.	1. μικροψυχία, quâ ad minuta & parva & vilia & sordida propendet Animus, iisve & cogitandis & fruendis totus occupatur.	*Mat*.6. 34. seq. *Colos*.1.2,3. 1 *Cor*.15.2. & 2.4.18. *Rom*.9. 5. 1 *Cor*.13.5.*Phil*.2.4,21.
2. Veræ scientiæ & Cognitioni rerum studendum, imprimis Divinarum; uti Dei Naturæ, operum, voluntatis; quin & Christi ejúsq; & Doctrinæ & Vitæ; Nostrî deindè ipsius, Hominúmque; Aliarum deniq; rerum omnium prout ad Pietatem, Caritatem, & Naturæ nostræ Perfectionem conferat. Uno Verbo φιλομάθεια dicatur.	2. Cultûs Ingenii neglectus, affectata vel contenta secum Ignorantia, vana incerta & inutilis scientia, eáq; omnis quâ occupati meliùs & fructuosiùs aliò tempus impendere possumus.	*Jac*.1.5.& 3.15. *Col*.1. 9,10.*Rom*.15.14. 1 *Cor*. 12. 31. 2 *Pet*.3. 18. 1 *Tim*.6.4,21. *Tit*.1.14. & 3.9. 1 *Tim*. 4. 13.
3. Veritatem sincerè, summóq; affectu quisq; colat, sectetur, & amplectatur. φιλαλήθεια est hæc Virtus.	3. Veritatem negligere, aut etiam interdùm, ubi minùs Cupiditari faverit, odisse. Errorem amplecti, receptúmq; semel mordicùs tenere & defendere.	*Eph*.4.5. 2 *Tim*.3.8. & 4.4. 2 *Thes*.2.10.
4. Animi vis, vivacitas, impigrities, robur & firmitas acquirenda & augenda; quæ cùm in agendo gerendóq; res imprimis magnas & arduas & periculorum plenas, sed utiles & justas; tùm etiam ubi opus fuerit, labores & molestias patiendo; adeò ut nec Hominibus, nec propriis Cupiditatibus, nec Fortunæ externísve malis uspiam fracti succumbamus, cernuntur. Fortitudinem, Patientiam, Tolerantiam, Diligentiam dicere solemus.	4. Languor, Imbecillitas, Mollities, Segnities, Oscitantia, Inconstantia.	*Rom*.12.11,12. *Heb*.12. & 10. 38.
5. In rebus quæ sunt alicujus momenti Attentio, Consideratio, Discretio, Indagatio Veri, & Judicium laudantur.	5. Præcipitantia, Temeritas, Pigrities, nimia Facilitas, & Credulitas.	*Phil*.1.9,10. 2 *Tim*.2.7. 2 *Tim*. 3. 4, 6.
6. Cognitionem autem omnem ad præstantissimum finem dirigere oportet; nempè ut Deo inserviamus, Aliis prosimus, actiones deniq; nostras, consilia, Factáq; rectè gubernemus.	6. Mera Speculatio, Curiositas, Jactantia, Cognitionis nostræ Abusus.	1 *Tim*.2.16,23. 1 *Cor*.8. 1,2. 2.*Pet*.2.14. *Jud*.16. *Eph*. 4. 14.
7. Maximi momenti illud habetur, Affectus omnes Amoris, Odii, Gaudii, Tristitiæ, Spei, Metus, &c. sapienter moderari & regere, ratione objecti & gradûs, termini & mensuræ. Id quod modis quatuor efficitur; eos nempè ad certa objecta excitando, augendo, compescendo, extinguendo prout vera sapientia jusserit.	7. Effrænis & vagus Affectuum motus.	*Col*.3,2,15. 2 *Cor*.7.10. *Luc*.10.20. *Mat*.10.28.
8. Quod autem ad voluptates Corporis attinet (inter quæ etiam affectus corporei, Valetudo, & Temperamenta numeranda) is iis in genere ponendus est modus, quo ultimum nostrum finem summúmq; bonum (quòd supra) assequamur seu effectum demus.	8. Carnalitas, indulgere carni, ejúsve cupiditatibus & concupiscentiis nos dedere. *Intemperantia* generalis.	*Col*.3.5. *Gal*.5.24. *Jac*.4.4.& 5.5. 1 *Pet*. 2. 12.
9. Speciatim nè rebus Venereis nos misceamus omninò extra legitimum Conjugium.	9. Fornicatio, Adulterium, Libido sodomitica, seu Pæderastia & ἀῤῥενοκοιτία; horumq; Initia, uti Impudicitia, Lascivia &c.	*Gal*.4.19.*Rom*.1.29. 1 *Cor*.6.9. *Jac*.4.4.
10. Conjugium autem sit unijugium, seu unius cum uno eodem tempore; idq; inter duas tantùm Personas diversi sexûs.	10. Polygamia, Concubinatus.	*Mat*.19.4,5. 1 *Cor*.7.2. *Eph*. 5. 23. seq.
11. Matrimonio autem juncti modestè & moderatè in eo statu se gerant. Hæc tria officia *Castitatis* nomine veniunt.	11. Lascivia, Incontinentia conjugalis.	1 *Cor*.7.7.
12. Qui id possunt, omninò ab istis se temperent, puróśq; se servent. *Virginitas* hoc dicitur.	12. Non Vitium aliquod, sed Humanæ Naturæ imbecillitas mortaliumq; Conditio. Unde conjugii necessitas, aut saltem commoditas, ferenda & accipienda potiùs, quàm optanda & arripienda.	1 *Cor*.7.1,7,37,40. *Mat*. 19. 12.
13. Gulæ & Palati illecebris moderandum: hoc est Poculentorum, Esculentorúmq; quantitas & qualitas & opportunitas debita observanda. Hoc strictiùs *Temperantia* dici solet.	13. Intemperantia, Voracitas, Ebrietas.	*Phil*. 3.19. 1 *Cor*.6.10.
14. Interdum etiam ab hisce, uti consuetudine Uxoris, aliisq; Corporis oblectamentis penitùs aliquam diu abstinere expedit. *Jejunium* hoc est.	14. Nec propriâ Prudentiâ monitos, nec Publicâ lege jussos id facere. Quin & ex alterâ parte Jejunium immodicum, & intempestivum.	1 *Cor*.7.5. 1 *Tim*.5. 21.
15. Reliquis demùm sensuum Delinimentis corporisq; Voluptatibus, Auditûs, Visûs, Exercitiorum, Actionum, motuúmq; graviter & moderatè quisq; utatur. Cujus generis sunt Cantica, Choreæ, Saltationes, Spectacula, Ludi, corporis cultus, Ædiumq; supellex, aliáq; ex his mixta & composita quæ in hominum vitâ occurrunt propè Infinita. Uno verbo *Sobrietas*, si placet, appelletur.	15. Compotationes, comessationes, aliaq; omnia quæ harum delectationum excessum & abusum habent, quæq; plus satis & animum occupant & vitæ spatium ad majora natum & datum explent. Uno Verbo *Luxus*.	*Tit*.2.12. 1 *Pet*.4.3,7. *Luc*.1.6.2 *Tim*.3.4. *Tit*.3.3. 1 *Joh*.2.16. 1 *Tim*.5.6. 1 *Pet*.3.3.
16. Hûc etiam multa simul congeri possunt aliæ Virtutes secundariæ, quæq; sunt in nobis Humilitatis & Caritatis effecta, vel partes, vel subjecta & instantiæ; qualia sunt justa & nostri & Aliorum æstimatio; indéq; Justitia quædam, modestia, Contentatio; ad omnia etiam infima officia paratus & promptus animus, ubi majora non obstiterint, Hominum erga nos officia & Voluntatem libenter & benignè accipere, gradu & loco contentionis Vitandæ causâ sæpe cedere, aliorum in monendo, reprehendendo, interdum & objurgando libertatem leniter ferre, mansuetudo, &c.	16. Permulta opposita Vitia, uti Arrogantia, animi nimia elatio; ejusq; effecta uti fastus; aliorum contemptus iniquus; cupere ut quis plusquàm par sit nos diligat, metuat, roget, expectet, colat; officia caritatis minora spernere; nolle vel dare aut accipere aut beneficiis obstringi; respuere aliorum de nobis benè merendi Studium; de ὑπεροχῇ in re qualibet contentio; adversus aliorum justas reprehensiones Iracundia; & si quid minùs ex voto acciderit & spem fefellerit, in ipsum Deum impatiens & in surgens Animus.	1 *Tim*.6.8,17. *Phil*.2.3.*Rom*.12.16. *Gal*. 6. 5. 1 *Pet*. 5. 6. *Heb*. 12. 5. seq.
17. Sæpè etiam repetitum habemus rectum Sermonis usum, ejúsq; imprimis Primarium, ad Conceptus & Affectus verè & prudenter significandum. *Veracitas & Simplicitas* appellatur. Multa etiam hic videmus Præcepta particularia de Sermone, respectu Dei & Proximi & Nostrî. Cujusmodi sunt Deum laudare, benedicere, gratias agere, per illum cùm rei Necessitas & Gravitas urgeat reverenter Jurare; Proximo etiam fausta apprecari, eundem instituere, monere, hortari, increpare, solari, excusare, defendere, laudare, (uti supra); proprios deniq; conceptus altiùs Animo imprimere, affectus excitare & fovere, idémq; penè de Corporis Gestibus intelligendum.	17. Mendacitas, Simulatio, Hypocrisis, Loquacitas, & importuna Garrulitas; Deum maledictis & Blasphemiis impetere; in frivolis neglectim & inconsideratè advocare Testem; Proximo maledicere, libenter accusare, detrahere, calumniari, convitiari. Item Obscænitas, (c) scurrilitas, facetia nimia, Joci illiberales, Sermo inutilis.	1 *Cor*. 14. 7. seq. 1 *Pet*,3.10. *Col*.3.8,9. *Eph*.4.29,31.& 5. 4. *Jac*. 3.& 1.19,26. 1 *Tim*. 5, 13.

Tab. 5.

Vitæ morumq; Præcepta quæ ad quosdam tantùm certæ Conditionis Homines pertinent, qui sunt

- **I.**
  - **Magistratus Civilis. Is**
    1. (a) Generalis Officii sui reputet Bono Publico invigilare ; seq; in hunc Finem Tributorum Vectigaliúmq; amplissimos reditus, Auctoritatem Potestatémq; à Deo accepisse intelligat ; non ut voluptatibus diffluat, ut Thesauros profundat, ut quod libeat liceat. — *Rom.* 13. 6. 1 *Pet.* 2. 14, &c.
    2. Leges condat, non tamen contra Deum, aut impias, aut iniquas, aut duras, aut inutiles ; sed uti Dei ministrum ejusq; vices gerentem decet, Cœlestis imperii legibus similes & congruas ; veræ etiam Religioni faventes, æquas, quantúmq; rerum statûs Temporúmve ratio patitur faciles, utiles demùm & salutares. — 1 *Tim.* 2. 2, &c.
    3. Præmia & Pœnas rectè distribuat ; Cives pios & probos & frugi nè minis & suppliciis perterreat, sed laude & præmiis animet ; sceleratos autem & facinorosos nè foveat tolerétve, sed abigat & coerceat ; semper memor se etiam non ita olim inter cæteros mortales demandati administratiq; muneris rationem, Regi Regum & Domino Dominorum, apud quem nulla est προσωποληψία redditurum. — *Rom.* 13. 2, 3, &c.
  - **Subditi** — Magistratui se summittant & honorem deferant sive bono sive malo ; idq; ex animo & ob Conscientiam, non tam propriam incolumitatem utilitatemve, quàm Communitatis Commoda, & Divinam Ordinationem seu Constitutionem respicientes, quandoquidem ea est istiusmodi quæ ad moderandas res humanas, ad continendam tuendámq; tranquillitatem, & ordinem Statûs Publici sit planè necessaria. Porrò in licitis Justis & honestis libenter pareant, in incommodis & illicitis etiam patienter ferant ; neq; cogenti aut Vim paranti vi obsistant ; Tributum deniq; cùm exigatur accuratè solvant. — *Rom.* 13. 1, &c. *Mat.* 22. 21. *Act.* 23. 5. *Tit.* 3. 1. 1 *Pet.* 2. 13.
- **II.**
  - **Ecclesiæ Rectores seu Ministri quales**
    - **Episcopi & Presbyteri**
      - Gregem quiq; suam promptè & diligenter curent, custodiant, regant, Pascant & Paterno amore complectantur. Eos nimirùm qui in Doctrinâ, & moribus obedientiam Christo profitentur & in se recipiunt, in Ecclesiam Christianam per Baptismum admittant ; indignos autem eósq; qui Fidem fefellerint ab eâdem arceant & ejiciant. Omnes prout occasio inciderit vera & recta doceant, jubeant, moneant, arguant, hortentur, sólentur, cùm publicè & pro Concione, tùm privatim. Bono etiam Exemplo omnibus præluceant, Preces concipiant, Sacras Scripturas, Doctrinámq; Apostolicam probè ipsi teneant, aliis recitent, explicent, applicent, Cœnam Domini celebrandam curent, aliis deniq; hoc idem gravissimum sanctissimúmq; munus demandent idoneis. — *Mat.* 28. 19. *Act.* 6. 4. 1 *Cor.* cap. 5. & 2 *Cor.* cap. 13. 1 *Tim.* 2. 2, &c. & 1. 4. 11. seq. & 1. 5. 22. & 2. 1. 13. & 2. 2. 2, 15. *Tit.* 1. 5, &c.
      - (b) Sin autem quæras quales esse debent ; ne sint Vinolenti, pugnaces, rixosi, pervicaces, sibi placentes, iracundi, avari, novitii, sed omninò inculpabiles, Sancti, justi, hospitales, sobrii, temperantes, graves, vigilantes, (c) unijugi, propriam Familiam graviter & prudenter regentes, bonæ Famæ, ad docendum apti, patientes, lenes, Philagathi, ne per ignaviam aut mollitiem ut quis eos immeritò contemnat patiantur. — *Jac.* 5. 14. 1 *Pet.* 5. 1, &c.
    - **(d) Diaconi & Diaconissæ.** — Illi Pauperum curam gerunt, multaq; etiam eadem cum Presbyteris obeant munera : Hæ autem Adolescentulas Fœminásq; Juniores doceant & Instituant, iisdémq; etiam utriq; Dotibus & Virtutibus ornentur, quibus Presbyteri illorúmq; Uxores. — *Act.* 6. 3. & 8. 5. 1 *Tim.* 3. 8, 11. *Tit.* 2. 3.
  - **Plebs Christiana** — Præpositos Pastorésq; suos diligant, magno honore dignos habeant, redditus sufficientes suppeditent, Documenta & Præceptiones audiant, monitis pareant, autoritati deferant in credendis agendisque, Fide & moribus, Doctrinâ & Disciplinâ ; idq; vel agendo, vel patiendo (quemadmodum in Statu Civili) eas pœnas quas iis Deus infligendi potestatem dedit. (e) — 1 *Cor.* 5. 2, 13. 1 *Tim.* 5. 17. *Heb.* 13. 7, 17.
- **III.**
  - **Parentes** — Liberos ament, probè instituant & enutriant in Disciplinâ & Admonitione Domini, eosdem leniter tractent, neque nimiâ severitate & sævitiâ frangant aut irritent, pro vitæ deniq; futuræ subsidio aliquid saltem, & quod honestè possunt corrogent.
  - **Liberi** — Parentes honorent, vicissim diligant, ab iis libenter monita & præcepta accipiant, iisq; se præbeant in omnibus morigeros, & sicubi destituti fuerint, sublevando, juvando, alendo, mutuam suam monstrent & referant Pietatem. — *Rom.* 1. 30. *Tit.* 2. 4. & 2. 9. 1 *Tim.* 5. 4, 8. & 1. 6. 1. 2 *Cor.* 12. 14. *Col.* 3. 20, 21. & 1. 22. *Ephes.* 6. 1, 5. 1 *Pet.* 2. 18.
- **IV.**
  - **Mariti** — Uxores diligant, unà cum iis habitent, doceant, castè iis utantur, debitúmq; eis Conjugale solvant, infirmitatibus sexûs permittant aliquid & subveniant, ad Pietatis Studium & Præmium trahant. — 1 *Cor.* 7. 3. *Tit.* 2. 1, 4. *Eph.* 5. 22. & seq.
  - **Uxores** — Maritos suos paritèr ament, honorent, juvent, ab iis discant, iisq; subjiciantur & ministrent, nec eos debito matrimoniali fraudent. — 1 *Pet.* 3. 1, 5, 7.
- **V.**
  - **Heri** — Benignè & cum æquitate Servos suos habeant.
  - **Servi** — Dominis sint fideles tanquam Servi Dei & diligentes ex Animo, etiam Ethnicis & Infidelibus in omnibus obtemperantes, illorúmq; proterviam ubi acciderit ferentes. — 1 *Pet.* 2. 18. *Col.* 3. 22. & 4. 1. *Eph.* 6. 5. & seq.
- **VI.** — Cælibes uti Virgines, Vidui & Viduæ & Conjuges, Viri & Fœminæ, Senes & Adolescentes, Divites & Egeni, qui firmâ utuntur Valitudine & Ægroti, qui prosperis qui adversis rebus constituuntur, aliaque. Quorum Officia utpotè Præcepta generalia ad speciales casus & circumstantias accommodata ex locis ad oram hic appositis petantur & similibus. — 1 *Cor.* cap. 7. 1 *Tim.* 3. 11. & 1. 5. 4. & 1. 6. 17. *Tit.* 2. 2. &c. *Jac.* 1. 2, 9, 10. & 5. 1. & 5. 13. 14, &c. 1 *Pet.* 5. 6.

Tab. 6.

Vidimus Dogmata Religionis Christianæ quæ sunt Vitæ morúmq; Præcepta. (a) Sequuntur ea quæ ad horum Præceptorum observationem quovis modo conferant. Hæc autem ad septem Capita non incommodè reduci possunt.

- 1. De Deo. Cujus
  - 1. Natura. (b) Ea est mera & pura Perfectio, quam totam exhauriunt, absolvunt, includunt, Inferunt tria ista Vulgò, attributa
    - 1. Potentia
    - 2. Scientia
    - 3. Bonitas. Omnia infinita ratione
      - Intensionis seu Gradu
      - Extensionis ad Objecta
      - Durationis
        - Atq; in hisce paucis & notissimis necessariò comprehensa nullo negotio reperiuntur Cætera omnia Naturæ Divinæ Attributa, quæ in Sacrâ Scripturâ occurrunt. Cujusmodi sunt
          - 1. (c) Necessaria ex se, & per se existentia.
          - 2. Independentia, αὐτάρκεια. — *Act.* 17. 25.
          - 3. Reliquarum omnium rerum seu Naturarum usquàm ullibive existentium Efficientia seu Causalitas. — 1 *Cor.* 8. 6. *Act.* 17. 28. *Rom.* 1. 20.
          - 4. Immensitas. — *Act.* 7. 49.
          - 5. Spiritualitas. — *Joh.* 4. 24.
          - 6. Sui ipsius aliarúmq; omnium omninò rerum præteritarum, præsentium, futurarum, possibilium, impossibilium perpetua Cognitio & Intuitus. — 1 *Joh.* 3. 20.
          - 7. Sanctitas. — 1 *Pet.* 1. 15. *Rev.* 15. 4. & 4. 8.
          - 8. Justitia universalis quâ suum cuiq; tribuit.
          - 9. Justitia particularis quâ pœnas præmiáq; bonis malisq; adjudicat redditque. — *Rom.* 2. 5, 6.
          - 10. Veracitas & Fidelitas. — *Heb.* 10. 13. *Tit.* 1. 2.
          - 11. Beneficentia, Misericordia, Patientia, Clementia, Placabilitas. — *Psal.* 145. 8, 9. *Jac.* 1. 17. & 5. 12. *Luc.* 15. 11. *Act.* 17. 25. *Rom.* 2. 4.
          - 12. Immutabilitas.
          - 13. Immortalitas, Eternitas. — *Rom.* 1. 20. 1 *Tim.* 6. 16. & 1. 1. 17. *Rev.* 8. 4.
          - 14. Unitas. Nempe hæc omnia Attributa, quæq; ad Naturam ejus pertinent esse in eâ inseparabilia, neq; unquam divelli posse; eiq; adeò essentialia, ut si unicum abesset, continuò ejus Natura periret; neq; Deus, seu pura Perfectio esse posset. Immutabilitatem hoc sequitur. Hanc porro Naturam esse solitariam & singularem, cui nihil in omnibus aut simile aut par uspiam existat. — 1 *Cor.* 8. 4, 6. *Deut.* 6. 4.
  - 2. Actiones quarum genera hæc videntur.
    - 1. Volitio rerum prorsus cunctarum quæcunq; ullam habent existentiam, sive eæ præteritæ sint sive præsentes sive futuræ. Hæc cùm unica, simplex, constans sit & perpetua; ratione tamen objectorum quæ innumera sunt, pluraliter *Decreta* communiter appellatur. Quæ omnia ab eterno, immutabilia, universalia. — *Ephes.* 1. 4, 11.
    - 2. (d) Omnium Divinarum Perfectionum quæ communicari potuêrunt duabus aliis Personis, *Filio* nempe & *Spiritui Sancto* appellatis ab æterno Communicatio: Adeo ut hæ tres Personæ, *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*, in hoc tantùm differre concipiantur, quòd una non sit alia; sed sunt Personæ distinctæ; quodq; Pater ab æterno generet aut emittat, Filius autem & Spiritus Sanctus ab æterno generetur, aut procedat, seu emanent ab eodem Patre. — 1 *Joh.* 5. 7. *Heb.* 1. 2, 3. *Mat.* 28. 19. *Col.* 1. 16. &c. *Joh.* 1. 1. Vid. *Loca quibus Deitas Filii & Spiritûs Sancti docetur.* Fol. 8, 9.
    - 3. Omnium rerum corporearum incorporearúmq; Productio ex Nihilo. — *Gen.* 1. *Job.* 1.
    - 4. Earundem etiam in suâ Existentiâ Conservatio perpetua. — *Act* 17. 25, 28.
    - 5. Providentia. Hoc est omnium facultatum, inclinationum, virium, actionum, motuum, conditionum, omnium omninò Creaturarum Directio & Determinatio ad statum universi perfectissimum, omnibus utiq; simul sumptis totâq; duratione spectatis. Idq; duabus præsertim rationibus respectu Creaturarum ratione utentium, viz. malum permittendo & infligendo, aut benefaciendo. Hujusce pars maximè notabilis die extremi Judicii expectanda. Cùmq; hoc sit in multis Religionis Christianæ peculiare Dogma, indè discimus.
      - 1. Judicem à Deo deputatum *Jesum Christum.* — *Mat.* 10. 29.
      - 2. Judicandos, viz. Homines Dœmonésque. — *Mat.* 25. 31. *Rom.* 14. 10, 12. 1 *Cor.* cap. 15.
      - 3. Ministros, Angelos Bonos. — 1 *Thes.* 4. 15.
      - 4. Tempus, incognitum. — 2 *Pet.* 3. 7.
      - 5. Supplicii locum, probabiliter Terram, Aeremq; circumfusum. — *Apoc.* 20. 11. & 21. 8.
      - 6. Præmii locum, Cœlos.
    - 6. (e) Voluntatis veritatúmq, Revelatio & suggestio sive immediatè, sive Angelorum ministerio; sive voce editâ, sive Prophetarum aliorúmq; fortè bonorum Inspiratione. — *Heb.* 1. 1.
  - 3. Felicitas consummatissima ex omnibus Naturæ Perfectionibus & Actionibus resultans, nempe ea quæ est gradu, constantiâ, duratione infinitâ. — 1 *Tim.* 1. 11. & 1. 6. 15.

Tab. 7.

II. De Iesu Christo homine, æternóq; Dei Patris Filio. Quæ sunt Christianæ Religioni Maximè propria. Atq; hic habemus

Divisio	Articulus	Loca
	1. Quòd in Priscorum Divinis Oraculis etiam hodiè visendis continetur, Quendam ex Judaicâ Gente oriturum, *Messiam* illorum Linguâ vocitatum qui Davidis Regnum æternùm obtineret, quiq; universo Humano Generi ingentium Beneficiorum Auctor esset aliquando futurus; id quod Judæorum gens indies olim expectabant, & etiam num hodie efflictim expectant.	*Act.* 3. 21, 24.
	2. Quin & horum venerandorum Vatum nonnulli quidem laxiùs prædixêrunt; Unus autem ab Angelo edoctus, hujus *Messiæ* mortis tempus Centuriis aliquot Annorum anteà præcisè indigitavit.	*Gen.* 49. 10. *Hab.* 2. 9. *Mal.* 3. 1. *Dan.* 9. 24.
	3. Mentionem quóq; fecit Alius loci ubi nasceretur; is Bethleema in Judæâ erat oppidum. Alius illius Stirpem nempè Davidicam præcecinit; Alius Præcursorem ejus nominavit, qui à Judæis Elias olim in eâ Gente Propheta celeberrimus, ad vivos paulò ante vel sub ipsum Messiæ Adventum rediturus credebatur; erat autem quidem Johannes Baptista appellatus. Is, moribus sanctissimis vitâq; austerâ, Divinorum Judiciorum minas adversùs sœculum dissolutissimum vibrans, & ad pœnitentiam vocans, erat Eliæ isti persimilis. Effœtis porrò Parentibus præmonente Angelo nascebatur.	*Mich.* 5.2. *Matt.* 2.1. *Psal.* 132.11. *Jer.* 11.10. *Mal.* 4.5. *Matt.* 3. & 11. 10, 14. & 22.42. *Luc.* 1.18. *Act.* 2.30.
	4. Porrò, in his vetustis Libris (mirabile dictu) imprimis legimus Istum Messiam non eo modo quo alii omnes gignuntur homines, sed ex Virgine purâ nunquàm expertâ virum nasciturum; Id quod reverâ soli *Jesu* Nazorethico contigit.	*Jes.* 7. 14. *Mat.* 1. 25.
	5. Atq; istius mirandæ Nativitatis & Josephus ejus Pater posteà habitus, qui ante Nuptias (uti Hebræorum moris erat) Virginem sibi desponsam habuit, & ipsa Virgo Maria Mater, cùm per præsentem Angelum, cùm per Insomnium præmonebantur; ne tanta res eos lateret, iniquáq; proindè suspicio oriretur, aut utriúsq; læderetur Fama.	*Mat.* 1. 20. *Luc.* 1. 27, 28.
	6. Angelorum rursùs Chorus quibusdam in agris Pastoribus greges curantibus Nativitatem ejus gratulabundi nunciabant; & Hymno de Cœlis resonante, & circumfuso ingenti lumine quasi igne quodam festivo & triumphali celebrabant.	*Luc.* 2. 8, &c.
	7. Quem etiam post aliquot dies Templo Herosolymitano, uti mos erat, præsentatum, utpotè primogenitum & integrum Deo oblatum, Simeon quidam Vir pius & Justus Numine afflatus, Annáq; etiam Vates valdè senex castitati & Jejuniis & Precibus jam à multis Annis vitam dicatam agens, agnoscebant ab initio rerum Majoribus suis promissum Messiam.	*Luc.* 2. 22, 25, 36.
	8. Non ita longo post tempore stella insolita, seu lumen ad instar Stellæ, nonnullis oriente Sapientibus, probabiliter cælitùs de significatione monitis conspicua, eos ducebat præeuns, monstrabátq; Infantis locum.	*Mat.* 2. 1, 2, 9.
	9. Qui iidem Magi appellati, eundem postea inventum oblatis muneribus adorabant. Herodem verò Judæorum Regem, magni istius Infantis Necem molientem, Divinitùs insomnio moniti spe frustrabant.	*Mat.* 2. 11.
	10. Cùm autem duodecim Annorum ætatem attigisset, cum Judæorum viris principibus & doctissimis disputabat, iisq; Divini Ingenii & Sapientiæ, & specimen dabat, & admirationem injiciebat.	*Luc.* 2. 42, 47.
I. Externa quæ illi acciderunt. Hujus sunt generis	11. Ab eodem tempore úsq; ad Annum tricessimum, privatam cum Parentibus agebat Vitam, Patrísq; honestam (uti probabile videtur) exercebat Artem.	*Mat.* 3.13. & 13.35. *Luc.* 2.57.
	12. Eodem circiter ætatis Anno cùm a Johanne Baptista baptizatus ex aquâ ascenderet, Voce de fissis Cœlis editâ, & delapsu visibili Spiritûs Sancti, Dei Filius dilectus, & Nuncius fidissimus renunciatur.	*Mat.* 3. 16, 17.
	13. Mox Humano Commercio se subducens, per Dies quadraginta loco deserto perpetuo Jejunio solitariam agebat Vitam. 14. Ubi Diabolus accedens Illúmq; astu & Arte adortus, experiebatur (Angelis Victoriam gratulantibus) ejus & vires & mores.	*Mat.* 4. 1, &c.
	15. Deindè in Publicum prodeuns, per tres ampliùs Annos Discipulos suos, Populum, ipsósq; etiam Doctores Concionibus, Colloquiis, Disputationibus frequenter docebat.	*Mat.* cap. 5, 6, 7. *Luc.* 9. 11. *Joh.* cap. 13, 14, 15, 16, 17.
	16. Unáq; innumera & insignia edebat Miracula. Ægrotos nempè & Infirmos per multos præsens absénsq; sæpè Verbo sanabat; Frementia Dœmonia, eúmq; Filium Dei proclamantia, Corporibus ejiciebat, Cœcis reddebat Visum, mortuísq; etiam ipsam Vitam.	*Mat.* 4.24. & cap. 8. & 9. 23, 27. *Joh.* 11. 1.
	17. Hunc tamen Judæorum Principes & Plebs, quæ interdùm eum & mirari & Divinis efferre laudibus videbantur, ut plurimùm odio & contemptu persequentes, Vitæ perpetuò ferè insidiabantur, captúmq; tandem & accusatum & profitentem se Messiam contumeliosè habebant, figebantq; demùm Cruci inter duos latrones; ipso tamen hoc ipsum prædicente & permittente, cùm sæpiùs aliàs idem tentantibus evasisset.	*Mat.* 17.22. & 21.1. & cap. 27. *Mar.* cap. 15. *Luc.* cap. 23.
	18. Dùm de Patibulo penderet, ipso fœdi supplicii tempore multa mirabilia, præterq; Naturæ leges solitas visebantur. Nam Lunâ plenâ Sol defectum patiebatur, tenebrascebat Cœlum, Terra tremebat, Velum quod duas Templi partes Sanctuarium & Adytum disterminabat sponte scindebatur, Sanctorúmq; quorundam defunctorum Corpora è Sepulchris excita, in Urbem Hierosolymitanam veniebant, à multis Visa. (a) Quibus rebus & Centurio & Latronum unus, omnísq; astans turba, ipsíq; Carnifices perculsi, Hominem Justum, imò Dei Filium passum cæsis pectoribus clamabant.	*Joh.* 8.59. & 10.31. & 11.47. & 7.32. & 18.19.
	19. Mortuus à Nobili quodam Josepho Arimatheæ novo Sepulchro reponebatur; ubi Milites aliquot nè quid fraudis esset excubias agentes, Angeli, Cœlestis oris habitûsq; specie descendentes, terrebant. A quibus Lapide Sepulchrum occludente amoto, post Dimidiam circiter tradui partem vitæ redditus indè prodibat, & per dies quadraginta Discipulis suis conversabatur. A Quingentis prætereà unâ vice multísq; aliis visus, idémq; qui mortuus fuerat vivus agnitus. (b)	*Mat.* cap. 27, 28. *Mar.* cap. 16. *Luc.* cap. 24. *Joh.* cap. 20. 1 *Cor.* 15. 6.
	20. Istos quadraginta dies tantùm in terris moratus, astantibus Discipulis & aspicientibus in Cœlum corpore evehebatur. 21. Et ad Dextram Dei gloriosam capiebat sedem. (c)	*Luc.* 24. 56. *Act.* 1. 2. & 2. 2. & 4. 10. *Heb.* 1. 3. & 12. 3.
	22. Unde, Juxta ac promiserat, Spiritum Sanctum, Virtutémq; edendi Miracula supra Discipulos demittebat. 23. Qui etiam, prout ab illo mandatum acceperant, Iesum istum Nazaræum crucifixum ubiq; prædicabant Messiam, & Societates Christianorum instituebant, quanquam hujus rei causâ dirissima quæq; patiebantur, & Capitalia sibi accersebant supplicia.	*Act.* cap. 2. 3, 4, 13, 14, 16, &c. *Mat.* 28. 19, 20.
	24. Ille interea Mediatorium munus etiam in Cœlis exequens, pro Hominibus intercedit, illorúmq; apud Deum agit causam.	*Heb.* 7.25. & 9.24.
	25. Atq; à Deo Patre deputatus, Angelorum Hominúmq;, úsq; ad Universale Judicium, regit Imperium.	*Mat.* 28.18. 1 *Cor.* 15.24. *Heb.* 1.6.
	26. Tum etenim tempore quodam, non longè abhinc futuro, Angelis stipatus, ad Terram descendit, bonis malísq; præmia Justissima redditurus, Deóq; Patri Imperio quod acceperat se abdicans, illud rursúm traditurus.	*Mat.* 25.31. *Act.* 1.11. 1 *Cor.* 15.24.
II. Interna. Quis qualísq; erat	1. Persona ejus duabus Naturis, Divinâ unâ, alterâ Humanâ, ratione mirabili, modo ineffabili, *Hypostaticè* (quod aiunt) inter se unitis constabat. Humana autem Natura ea erat quam supra vidimus, tempore facta; Divina verò à Patris Personâ ab æterno generabatur. Id apparet ex locis istis collectis undè Divinitas Messiæ & Humanitas probantur.	*Joh.* 1. 1 *Joh.* 5.7. *Col.* 1. 16. *Heb.* 1. 8, 16. *Apoc.* 1. 8, 18.
	2. Quantùm potuit ex factis Gestísq; plúsquam Humanis, ex miraculis innumeris ab ipso palam apertáq; luce editis, ex ea Potestate & Virtute, ferè paria suis faciendi, quam Apostolis aliísq; Discipulis ejus immisit, abundè constat.	*Act.* 4. 10.
	3. Quæ verò & quot sciebat, ex Concionibus, Colloquiis, Disputationibus, ex iis quæ ullo modo docuit, quæ etiam docuêrunt Apostoli & Novi Testamenti Sacrorum Librorum Scriptores, utpote qui à Iesu vel Institutione vel Inspiratione isthæc acceperant, quorum in hisce Tabulis compendium damus; ex his inquam omnibus facilè colligitur. Quorum ea imprimis admirationem meritò movent, quòd futura quæ voluit prædiceret, & abditas Hominum Cogitationes Animorúmq; motus haberet perspectos.	*Mat.* 5. &c. & cap. 24. & 16. 4. & 22. 15. *Luc.* 2. ult. *Col.* 2. 3. *Joh.* 2. 24, 25.
	4. Erat deniq; moribus sanctissimis & vitâ integerrima, culpâq; omni prosus vacante. In eo etenim elucebat magna simplicitas & tamen Prudentia exquisita, in Deum Pietas atq; adeò obedientia perfectissima, erga Homines caritas summa & beneficentia perpetua, sui abnegatio, ἀνεκοδεξία, mansuetudo, injuriarum acerbissimarum tolerantia & remissio, magnanimitas, fortitudo, patientia, spiritualitas, rerúmq; terrenarum Despicientia. Deo enim vivebat cælebs, sæpè precibus rerúmq; Cœlestium meditationi solus vacans; undè & frequens ei cum mundi Cœlestis Incolis, Angelis nempè Sanctísq; illustrissimis vitâ functis intercessit commercium. Ejus rei aliquando tres Discipuli, Petrus, Johannes, Jacobus Testes erant, quos secum in montem solitarium ad orandum sumpserat. Ibi enim oris ejus vestitûsq; solitam speciem in cœlestem gloriam mutatam videbant, & Mosen & Eliam, Prophetas olim inter Judæos summos, cum eo de loco & genere mortis futuris colloquentes.	*Heb.* 7.26. *Joh.* 4.34. *Phil.* 2.5, 8. *Luc.* 22.42. *Joh.* 10.10, &c. *Eph.* 5.2. *Mat.* 11.29. & 14.23. *Luc.* 9.28. *Joh.* 4.32. & 12.23. *Heb.* 12.23.
III. Quid nostrî causâ præstitit. Quorúmve beneficiorum Auctor extitit.	1. Hæc omnia Dogmata quæ in hasce Tabulas congessimus, ipse ore suo Apostolisve Vicariis vel primus docnit, vel perfectiùs tradidit, vel autoritate suâ fallere nesciâ confirmavit.	*Joh.* 15.15. *Act.* 3.22. *Heb.* 1.1.
	2. Perfectionis Humanæ Naturæ, ad quam in terris hic aspirare debemus summæ Exemplar consummatissimum, ídq; in difficillimis exhibuit. Quin & ipsorum Apostolorum, Martyrum, Sanctorum in Ecclesiâ Exempla, Iesu Doctrinæ Gratiæ & exemplo tribuenda.	*Phil.* 2.5, &c. *Heb.* 12.1. 1 *Pet.* 2.21.
	3. Peccatoribus pœnitentibus & ad Vitæ probitatem conversis utiq; omnibus præteritorum delictorum veniam, sui ipsius oblatione seu ejus morte & meritis impetravit. (f)	*Rom.* 5.8. *Col.* 1.14. 1 *Joh.* 2.1, 2, 12.
	4. Cœlestem opem ad Vitia exuenda, studiúmq; Virtutis & Sanctitatis juvandum, multáq; alia Spiritûs Sancti Dona gradibus variis in Ecclesiâ suísq; imprimis, sed & interdùm forte latiùs, à Deo iisdem meritis & obtinuit, & pro sua sapientiâ per istum Spiritum Sanctum distribuit. (g)	*Col.* 1.18. & 2.19. *Eph.* cap. 4. *Joh.* 12. 16. & cap. 17.
	5. Tandem Vitam Æternam, Felicitatem in Cœlis perennem & immortalem, Vitæ puritate ad mortem usq; perseverantibus & meruit, & præparavit, & Dei Vice daturus est.	*Joh.* 6.40. & 17.2. *Heb.* 5.9.

Tab. 8.

III. De Spiritu Sancto. Ejúſq; hic diſcimus

- **I. Perſonalitatem ut cum Scholaſticis loquamur.**
  - (*a*) Eúmq; eſſe Naturam quandam per ſe ſubſiſtentem, non verò Qualitatem aliquam, non Potentiam Virtutémve Dei. — *Matt.* 28. 19. 1 *Cor.* 12. 4, 5, 6, 11. 2 *Cor.* 13. 14. *Joh.* 14. 16. & 16. 13. *Eph.* 1. 13, 14. *Act.* 15. 28.
- **II. Proprietates quaſdam.**
  - 1. Quòd hæc ipſa Perſona à Patre Filióq; miſſus fuerit, venerit, proceſſerit. — *Joh.* 14. 16, 26. & 15. 26. & 16. 7.
  - 2. Quòd proindè ab utrâq; diſtincta ſit. — *Joh.* 13. 24. & 3. 12, 13, 16.
- **III. Effecta Dona, Operationes. Eáq; vel**
  - **I. Omnibus Chriſtianis (*b*) cujúſq; Ordinis & ævi communia, ſed gradu & frequentiâ variis, prout iſti Spiritui viſum fuerit. Cujuſmodi ſunt**
    - 1. Rerum & Veritatum quas antea novimus utilis & opportuna ſuggeſtio, & ad memoriam revocatio, animíq; ad eas Applicatio & Adverſio. Earum deindè quæ nova & penitùs (nobis ipſis ſaltem) priùs ignota, interdum Revelatio, ſi ea Voce uti liceat. — *Joh.* 14. 26. *Rom.* 8. 26. *Luc.* 12. 12.
    - 2. Illuminatio, quâ res quaſlibet ſed imprimis Spirituales & futuras clariùs & fortiùs & faciliùs percipimus. — *Epheſ.* 1. 17, &c.
    - 3. Convictio, nempe ut veritatibus perceptis & cognitis, ſed præcipuè revelatis, idq; per Jeſum Chriſtum planè aſſentiamur. *Fides Hiſtorica* hæc dicitur. — 1 *Cor.* 12. 9.
    - 4. Converſio, quæ ſatis aptè Voluntatis diſpoſitionis mutationem ſignificat. Eam ſcilicet quâ malum omne, iniquum, Peccatum quod priùs adamaverat, odio jam habeat & averſetur: at verò ad id quod rectum æquum ſanctum fuerit amplectendum eligendum diligendum feratur; quâ Vitium omne exuat & deponat, Virtutémq; induat. Hoc illud idem in genere eſt, quibuſdam tantùm circumſtantiis diſcrepans, quod fidei efficacis, Sanctificationis, Regenerationis aliíſq; nominibus & appellationibus benè multis innoteſcit. — *Rom.* 8. 13, 14. *Gal.* 5. 18, 22. *Joh.* 3. 5.
    - 5. Affectuum omnium moderatio, Illorum nempè Excitatio, Auctio, Repreſſio, Extinctio, Directio. Cujuſmodi ſunt Dilectio, ſpes, metus, Dolor, Gaudium, Deſiderium. Exempla habemus, diligere Deum & Chriſtum & proximum; temnere mundana, ſperare & ſpirare Cœleſtia, timere Deum ejúſq; & minas & Pœnas, dolore pro Peccatis affici, rectè factorum Conſcientiâ gaudio perfundi, Dei Officiíq; causâ perpreſſionibus lætari, poſt veram & ſinceram pænitentiam erigi animum, aliáq; permulta. — *Act.* 9. 31. *Col.* 1. 6. *Rom.* 5. 5. *Rom.* 15. 13.
    - 6. Quod etiam loco primo reponi potuit, in omnes noſtras facultates influxus ſeu effectus quidam, adeò ut non modò Intellectum, Voluntatem, Affectus fingat & quodamodò tractet; ſed & ſenſus ipſos, memoriam, Imaginationem, Loquelam pro arbitrio ſuo & afficiat & moderetur. — *Rom.* cap. 12. 1 *Pet.* 4. 11. *Epheſ.* 2. 22.
  - **II. Primorum ſæculorum Chriſtianis propria, vel ſaltem frequentia magis. In Novo Teſtamento hæc occurrunt.**
    - 1. (*d*) Fides in Jeſum Chriſtum, ſeu Aſſenſus & Judicium Jeſum Nazaræum eſſe verum promiſſum olim Judæis Meſſiam; hujúſq; Fidei aperta Confeſſio. (2) (*e*) λόγος σοφίας & λόγος γνώσεως. Verbum ſapientiæ & verbum ſcientiæ. (3) (*f*) Fides miraculorum. (4) Donum morbos ſanandi. 5. (*g*) ἐνέργημα δυνάμεων, Virtutum operatio. 6. (*h*) Prophetia. 7. (*i*) Spirituum dijudicatio πνευμάτων διάκρισις. 8. (*k*) Linguarum Peritia ſenſum rectè aliorum interpretando, ſuúmq; eloquendo. (9) (*l*) Myſteriorum Intelligentia. 10. Docendi Donum. 11. Donum exhortandi, miniſtrandi, Gubernandi. — 1 *Cor.* 12. 8. *Rom.* 12. 6. *Rom.* 15. 19. 1 *Cor.* 13. 2. 1 *Theſſ.* 5. 19.

Tab. 9.

- **IV.** (*a*) De Angelis iisq;
  - 1. Bonis. Quorum habemus
    - 1. (*b*) Multitudinem, vastam nempe & innumerabilem. — *Mat.* 26.35. *Luc.* 2.13. *Heb.* 12.22.
    - 2. Naturam & Proprietates. Idq; respectu
      - 1. Mentis. Sunt enim
        - 1. (*c*) Corporibus quibusdam seu Vehiculis Juncti, alligati aut Uniti. — *Luc.* 20.36. *Mar.* 12.25.
        - 2. Moribus, quibus erant olim à Deo conditi adhuc intemeratis, sunt Sancti, fide & obedientiâ erga Creatorem suum inviolatissimâ, Dilectione sui invicem & erga Homines caritate ardentissimâ, Officiis quibuslibet à Deo demandatis etiam mortalium gratiâ promptissimi. Cùmq; Naturâ suâ tanti fastigii supra humanam Conditionem sint; tantundem etiam supra omnem fastum, arrogantiam & contemptum animis evehuntur. — *Luc.* 1. & 2.13. & 15.7. *Mat.* 6.10. *Act.* 6.19. & 16.19. *Apoc.* 19. 10.
        - 3. Intellectu etiam & cognoscendi facultate mortalium Genus longè superant. Eam enim habent magis celerem, subtilem, fortem, constantem, variam, multiplicem, simultaneam, circa res præstantiores versantem; quæ sunt vel omnes istius facultatis Perfectiones, vel saltem illarum pars præcipua. — *Mat.* 1.20. & 24.36. *Apoc.* 1.1. *Dan.* 6. & *Dan.* 9.
        - 4. Neq; minùs agendi efficiendiq; virtute valentes, multa magnáq; supra Mortales possunt; id quod ex illorum actionibus & effectis apparet. — *Mat.* 13. 46. seq. 2 *Sam.* 14.16. 2 *Reg.* 19.35.
      - 2. Corporis
        - 1. Superioribus mundi Regionibus sedem habent, seu Cœlorum sunt Incolæ. — *Mat.* 18.10. & 24.36.
        - 2. Corpora informant tenuia, subtilia, quando placuerit luminosa, spatiiq; multùm occupantia, velocia, incorruptibilia. — *Luc.* 20.36. *Apoc.* 10.1. & 14.6. & 18.1.
    - 3. Actiones & Effecta.
      - 1. Deo ministrant, illum laudibus concelebrant, ejúsq; voluntatem deferunt, annunciant, exequuntur. — *Mat.* 13.40. *Luc.* 1.11,26. *Gal.* 3.19. *Apoc.* 22.12. 2 *Sam.* 14.16. 2 *Reg.* 19. 31.
      - 2. Se mutuò diligunt, malos Angelos compescunt. — *Apoc.* 20.1,2. & 12.7. *Jud.* ver. 9.
      - 3. Bonos Homines & pios docent, monent, dirigunt, protegunt, liberant, aliisq; rationibus Juvant; malos autem & impios sæpè in consiliis factisq; impediunt & reprimunt, sæpè etiam puniunt, nonnúnquam opprimunt & è medio tollunt. — *Act.* 5.19. & 12. 23. & 16. 26. *Heb.* 1.14. *Dan.* 6.23.
    - 4. Statum seu Conditionem. Verisimilius autem Illos Politiâ quadam degere, idq; semper fœlicissimos. — *Mat.* 18. 10. *Luc.* 1.19.
    - 5. (*e*) Sunt enim Illorum Ordines seu Gradus; qui Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus & futuri Sæculi nomina vocantur. — *Eph.* 1.21. 1 *Col.* 16. 2 *Thes.* 4.16. *Jud.* ver. 9. *Apoc.* 12.7.
  - 2. Malis. Quorum rursus est
    - 1. (*f*) Numerus pariter magnus. — *Mat.* 5.9. *Jud.* ver. 6. *Mat.* 25.41. *Apoc.* 12.7.
    - 2. Natura, ejúsque Qualitates quædam. Si spectemus.
      - 1. Mentem
        - 1. Sunt itidem inditi Corporibus & illigati.
        - 2. Ab eâ Conditione quâ erant à Deo creati & constituti, adversus Conditorem suum peccantes, sunt deturbati: atq; adeò sunt adhuc Dei perduelles, moribus impiis, sibi invicem nobisq; quantùm possunt audéntq; malevoli & malefici, crudeles, superbi, cultûs hominum ambitiosi, invidi, insidiosi, mendaces; Quin & eorum nonnulli videntur etiam crassioribus Corporis voluptatibus dediti. — *Joh.* 8.14. *Eph.* 6.10. 2 *Pet.* 2.4. *Jud.* ver. 6. 1 *Joh.* 3. 8.
        - 3. Eâ facultate quâ cognoscimus & intelligimus, illorum alii nobis longè superiores, alii verò fortè minùs & sciunt & sapiunt. — *Mat.* 8.30. *Apoc.* 20. 2 *Cor.* 2.11.
        - 4. Illorum Potentia ex iis quæ efficiunt & operantur facilè colligitur. — *Eph.* 2. 2. *Job* cap. 1,2.
      - 2. Corpus.
        - 1. Alicubi circa Terram, aliaq; mundi consimilia loca hærent.
        - 2. Illud sortiuntur crassius, tardius, impurius & quasi tenebrosius quàm Angeli Boni.
        - — *Mar.* 5.9. seq. *Eph.* 2.2. *Jud.* ver. 6. *Eáq; loca quibus corpora ab iis legimus insessa.*
    - 3. Effecta & Actiones
      - 1. Generatim Dei Jussu & permissione Hominibus Bonis malisq; sæpè nocent.
      - 2. Speciatim Ignorantiam rerum imprimis Divinarum, sed & etiam Naturalium fovent, errores inducunt, ad Peccatum alliciunt, incitamenta objiciunt, occasiones ministrant, sensus fallunt, Phantasmata excitant, affectus commovent.
      - 3. Corpori, Valetudini, Famæ, Facultatibus, vel per se, vel per malos homines sæpè mala inferunt.
      - — *Act.* 5.3. 1 *Cor.* 7.5. & 2.11.14. 2 *Thes.* 2. 10. 1 *Pet.* 5. 8. *Apoc.* 12. 9. & *Job* cap. 1, 2. 2 *Sam.* 24. 1. 1 *Chro.* 21. 1. *Joh.* 13. 2, 27. *Act.* 5. 3. *Job* 1. 2.
    - 4. Status & Conditio. Ex quo à Deo desciverunt, miseram agunt Vitam, sed post magnum illud Judicium ad extrema supplicia æternùm damnandi. — *Mat.* 25.41. *Jud.* ver. 6. *Apoc.* 12. 7.
    - 5. Ordines quidam & Genera. Etenim de Beelzebub Dæmonum Principe ejúsque Regno, de Diabolo & Dracone illorúmque Angelis Legimus. (*g*) Quidam etiam videntur δαίμονες ἐπιχώριοι, certis quibusdam locis assueti & delectati; uti isti qui Porcorum Greges in mare agebant præcipites. — *Mat.* 12. 24, 26. & 17. 21. & 25. 41. *Apoc.* 12. 7.

Tab. 10.

V. De nobis ipsis. Idq; quales

1. Ante hanc Vitam fuimus.

1. Animarum Substantiam, Corporúmq; materiam Deum aliquando ex nihilo fecisse.
   1 Cor.8.4. Gen.2.7. Act.17.24,25,28.

2. *(a)* Et hanc quidem initio rerum, cùm vastum illud Chaos primáq; Universa Corporea Natura creabatur; illam verò cùm Corpora propria tanquam idonea & commoda ad illam recipiendam Domicilia primò formabantur, verisimilius * ex Scripturâ videtur; eámq; proindè non antea cum aliis substantiis & Naturis intelligentibus primordio Rerum fuisse productam.
   Nempè ex derivatione Peccati originalis (uti dicitur) ab Adamo ad Posteros suos Rom, 5. Item ex Similitudine cum Creatione Adami, Gen.2.

2. In hac Vitâ sumus.

1. Duabus distinctis dissimillimisq; Naturis componimur; Animâ nempè & Corpore; actionibus, passionibúsq; operationibus & impressionibus mutuis colligatis & unitis.
2. Anima harum nobilissima, est Substantia Spiritualis ab illâ Corporeâ discrepantissima.
   Mat.10.28. Luc.23.43,46. Luc.16. Id quod etiam liquet ex proprietatibus in sacrâ Scripturâ Animæ ubivis tributis. & Luc.12.4. Numb.27.16.

3. Est etiam Naturâ suâ immortalis, h.e. talis quæ nunquàm in partes dividi aut dissolvi potest.
   Luc.12.4.5. inde sequitur. Eccles.12.7.

4. Est etiam in æternùm duratura, utpote quam ejus Conditor Deus, qui solus id potest nunquam in nihilum est redacturus.
   Rom.2.6. 1 Thes.4.17. Mat.25.46. Eáq; loca omnia quibus Vita mórsq; æterna docentur.

5. * Est deniq; ejus Parenti summo Deo, Rerum omnium factori & Opifici similis; & quidem naturæ suæ Spiritualitate accuratissimè, quin etiam gradu quodam Intellectûs Voluntatisq; facultatibus, Dominio supra Creaturas inferiores, aliisq; Perfectionibus & quasi Privelegiis.
   Gen.1.26. 1 Cor.11.7. Eph.4.24. De Sanctis. Gen.1.28. Psal.8.7.

6. *(b)* De corruptionibus, morbis, defectibus, perdito nostræ Naturæ Statu accusationes & querelas habemus gravissimas, quæ fortè omnia hisce paucis ferè complectaris. Ignorantia, Error, Intellectûs Cœcitas, Stupiditas, Tarditas, Debilitas, Confusio, Angustia, rebus præsertim * Spiritualibus; In voluntate Inclinationum, Appetituum, Affectuum immoderatio & inordinatio, si hæc nova sed significantissima Vocabula usurpare liceat. Speciatim verò Virtutis & Vitii, Boni & Mali, Officii & Peccati insensibilitas quædam; quin & Divinarum Promissionum & Comminationum, Præmii & Pœnæ benè malevè agentibus. Id quod Cordis Durities appellari solet. Quapropter quamdiù hoc in loco res nostræ fuerint, Deo minimè grati, sed iræ ejus obnoxii censeri debemus.
   Rom.1.18.28, & 7.14.18,24. Eph.2.1.&c. & 4.17. Colos.2.13. & 3.6,7.

7. Neq; verò harum Calamitatum causæ præcipuæ & primariæ omittuntur; quarum (1.) Adami & Evæ quos hominum primos cæterorúmq; omnium Parentes finxit Deus, ab illo Deo defectus, per transgressionem Præcepti cujusdam quod illi dederat apertam & voluntariam; undè mox miserrimæ illæ Corporis Animæq; clades & labes sequebantur; quæ etiam ad Posteros omnes uno Iesu excepto per causas naturales fuerunt hactenùs propagatæ. (2.) Voluntarius noster consensus pravis ejusdem Inclinationibus, peccandi Consuetudo, torpor, oscitantia, vel levissimi laboris fuga: quò fit ut ventis undisq; pravarum propensionum & Cupiditatum nos totos permittimus, vel etiam easdem fovemus, & augemus ipsi. (3.) Maleficorum Spirituum machinationes, insidiæ, Conatus.
   Rom.5. Eccles.7.29. Rom.3.22. & 7.14,18,24. & 1.18,28. Ephes.2.1,12. & 4.17. Colos.2.13. & 3.5,7. 1 Cor.7.5. & 2.11.14. Apoc.11.9. Act.5.3. Eph.2.2. 1 Cor.15,21,22.

8. Docemur tamen non ideò meliorem spem penitùs abjiciendam, sed aggrediendum seriò & enixè laborandum, ut naturæ nostræ ruina resarciatur, sanentúrq; morbi. Eam nempè & Integritatis & Perfectionis tantæ quanta Creatori placuerit esse adhuc capacem. Inventa porrò & ad manum jam esse remedia & media, immensâ Dei erga nos bonitate & misericordiâ per Iesum Christum. Etenim mentes nostras uberiori rerum Spiritualium cognitione & intelligentiâ compleri, & flecti in optima Affectus, & Voluntatem ad Justitiam & Rectitudinem Virtutémq; omnem formari, Naturam deniq; totam emaculari, purgari, instaurari non est quod desperemus. Verbum námq; suum, Sanctissimum morum fideiq; Disciplinam in manus nostras tradidit Deus, ipsisq; objecit oculis. Sed & Spiritûs Sancti Vim opémq; paravit immisitq; animis, qui in nobis operetur, excitet, conservet, augeat, omni ratione juvet Studia nostra sincera conatúsq; assiduos. Undè demùm Christi gratiâ deletis præteritis Vitæ Delictis, & quasi oblivioni datis, Divino favori & benevolentiæ redditi, Redemptionem, Justificationem, Adoptionem tandémq; in Cœlis Glorificationem æternam assequamur.
   Rom.7.25. & 6.14. Ephes.2.4,5. &c. & 4.20. Col.2.12,13,14. Rom.8.28,&c. Col.2.8,16. Phil.2.12,13. Gal.5.17,24. Rom.8.1,2,13,14,17. 1 Thes.5.24. Joh.15.3. Jac.1.21. 1 Pet.2.2.

3. Post hanc Vitam erimus.

1. Omnes boni malique.

1. Supremo illo hominum Dœmonúmq; Judicio resurgemus & comparabimus omnes; Eadémq; Anima ad Corpus idem quo vel viximus vel mortui fuimus redibit, nunquàm posteà separanda.
   Mat.25.46. Apoc.12.11. 1 Thes.4.16. Rom.14.10,12. 2 Cor.5.10. 1 Cor.15. Apoc.20.12.

2. Boni

1. Statim post mortem, eam inter & Resurrectionem, ad Conditionem perfectiorem & fæliciorem, quàm quâ in hac Vitâ sunt usi, migrabunt.
   Phil.1.23. 2 Cor.5.1,4,8. Luc.16.22.

2. At verò post istam generalem Resurrectionem & Judicium, Conditione longè beatissimâ in Cœlis æternùm perfruentur, Corporibus iis Angelorum similibus, & loco & vitæ ratione congruis; idq; (saltem primo in Cœlestes illas mansiones introitu) juxta eam mentis puritatem, quam sunt dum in Terris viverent adepti.
   Rom.2.6. 2 Cor.5.10. 2 Tim.4.8. 2 Cor.4.17. 1 Pet.1.4. & 1.5.4. Phil.3.21. Colos.3.4.

3. Mali

1. Mortui confestim ad deteriorem detrudentur Conditionem.
   Luc.16.23,25.

2. *(c)* Post absolutum extremum Omnium Judicium, Vitam imperfectam valdè & miseram traducent pariter æternam, & quidem secundùm Opera & Naturæ suæ pravitatem in hac Vitâ contractam aut auctam, sed nunquàm depositam.
   Mat.25.41,46. & 25.30. Rom.2.6,16. Apoc.21.8. & 20.12.

Tab. 11.

VI. De Ecclesiâ seu Societate Christianâ. Cujus

- **1. Natura.** Viz. Est hominum Societas in Iesu Christi Doctrinam, seu ad omnia Credenda & Agenda quæ ab eo Dei Nomine & Docentur & Jubentur consentientium; seu Iesu Christo Dei Nomine in omnibus parêre, cum Deo paciscentium: Quemadmodum olim Judæi cum Deo per Mosem fœdus pangebant, & Ecclesia Judaica rectè dicitur.
  — *Act.* 2.41. & 8. 12, 13, 17. & 16, 31, 33.
- **2. Partes.**
  - 1. Qui præsunt, aut quovis in eâ funguntur munere. Sunt autem
    - 1. (*b*) Iesus Christus Dominus, qui Caput unicum, qui Monarcha est solus hujus Societatis & Spiritualis Imperii.
      — 1 *Cor.* 12.37. *Eph.* 1.2. & 4.15, 16. & 5.23. *Colos.* 1. 18. *Heb.* 1. 2. & 3. 2, 6.
    - 2. (*c*) Ab illo deputati & delegati Apostoli, per quos Ulteriùs Episcopi, Presbyteri, Doctores, Pastores Κυβερνήσεις Αντιλήψεις Diaconi & Diaconissæ.
      — *Mat.* 28. 19. 1 *Cor.* 12. 38. 1 *Tim.* 1.2,12,18. & 2.1.6,13. & 1.3.2,8. & 1.5.2. *Tit.* 1.5. & 2. 3.
  - 2. Qui Subsunt.
- **3. Officia.**
  - 1. Superiorum: uti sunt
    - 1. Christi Doctrinam omnibus hominibus anunciare & prædicare. (2.) Ecclesias particulares colligere & constituere. (3.) Sed & in Christianorum cœtibus eam Doctrinam solenniter recitare, explicare, confirmare, præcipuè ex Veteris Testamenti Oraculorum Testimonio, ad Observationem aut imitationem hortari. (4.) Suis Christianis præcipere, jubere, vetare quæ ad mores pertinent. (5.) Ordinare & Constituere quæ ad Ecclesiæ Regimen & Disciplinam administrandam viderentur necessaria; ut Christi Doctrinæ puritas & efficacia conserventur. (6.) Precibus, gratiarum actionibus, Verbi Divini recitationibus præire. (7.) Admittere in istam Christianam Societatem per Baptismum, Panem, Vinúmq; precibus & conceptis Verbis ab usu Communi separata, in Cœnâ Domini distribuere, diebus præsertim Dominicis, seu Iesu Christi resurrectionis à mortuis. (8.) Malos homines qui Christi Doctrinam vel rejicerent vel corrumperent, vel malè viverent; qui Christi legibus fide & moribus non obtemperarent monere, suspendere, & si opus esset è Sodalitio suo ejicere. (9.) Pauperum Curam habere. (10.) Alios ad hæc munera & officia maximè idoneos dispicere & eligere.
      — *Mat.* 28.19. *Act.* 8.5. & 16.19. & 20.7,28,31. 1 *Cor.* 5. 13. *Tit.* 3. 10. Epist. *Tim.* & *Tit.*
  - 2. Inferiorum ——— Vid. Fol. 6.
  - 3. Omnium. Ea sunt
    - 1. Baptismum ritè celebrare. Cujus
      - 1. Natura. Ea est in Aquam immersio in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.
      - 2. Usus. (*d*) Nempè per istum Ritum Fideles illorúmq; liberos in Ecclesiam cooptare. (2.) Domini Iesu Sepulturam & Resurrectionem, indéq; etiam morum puritatem, & Demùm in Iesum fidem & obedientiam nostram, eâq; conditione peccatorum remissionem significare & profiteri.
      - 3. Effecta. Privilegiorum omnium Ecclesiæ participatio, quin & virtutis Spiritûs Sancti plùs solito in animas effusio, quâ Saltem facilior carnis Vitiosæq; naturæ mortificatio. Atq; hæc quidem à Deo Ecclesiæ concessa est in antecessum benedictio, tanquàm amplissimum Privilegium, & ad Religionem Christianam Invitamentum. Deindè etiam adultorum, Parentum, Susceptorúmq; si sincerè se suósq; Christi Disciplinæ dedicent quasi præmium aliquod, Cœtúsq; particularis & Ecclesiæ Catholicæ precibus gratiosa Dei Responsio haberi possunt. Infantium autem animas in inclinationibus habitualibus præsertim, Vim Gratiæ recipere posse non videtur dubitandum, atq; adeò labem sequentémq; reatum Peccati Originalis detergi etiam posse.
      — *Mat.* 28.19. *Act.* 2.38. & 16. 15, 33. *Rom.* 6. 3, 4. 1 *Cor.* 7. 14. *Coloss.* 2. 12. *Eph.* 5.26. *Tit.* 3.5,6. 1 *Pet.* 3. 21.
    - 2. Cœnam Domini. Cujus
      - 1. Natura. Panem & Vinum ad repræsentationem Corporis Christi & Sanguinis fracti effusiq; sacrata & seposita, unâ comedere & bibere.
      - 2. Usus & Finis. Generalis nempè is est, Christum & quicquid ad ipsum pertinet, ejúsq; imprimis mortem & per eum ingentia beneficia, eo quò debemus affectu ad memoriam expressiùs revocare; inq; hæc quidem mentem diutiùs defigere; quin & aliis mortem Domini anunciare; Fidem deniq; nostram in hunc crucifixum Iesum declarare & unà cum aliis profiteri.
      - 3. Effecta. Amoris nostri erga Deum Christúmq; pro tantis beneficiis, Fidei, Obedientiæ, Sanctitatis Universæ, indéque gaudii & tranquillitatis Conscientiæ incrementum; quin & vicissim eâ occasione si Ritum dignè obeamus, Virtutis Divinæ illapsus, quo isthæc ipsa Vita Spiritualis adolescat.
      — *Mat.* 26.26. *Mar.* 14.22. *Luc.* 22. 19. *Rom.* 5. 1, 8, 10, 11. & 6. 1. 1 *Cor.* 11.24, &c. & 2 5. 14, 15.
    - 3. Cultum Divinum externum. Cujus partes
      - 1. (*f*) Orationes publicas maximâ quâ fieri potest hominum frequentiâ, eodémq; cum aliis tempore ad Deum per Christum conceptas fundere.
      - 2. Eodémq; pariter modo Hymnos & Deo & Christo canere.
      - 3. Sacros Virorum θεοπνεύστων libros tractatos, recitatos, expositos, confirmatos & prudenter prout occasio tulerit ad usum Vitæ applicatos diligenter & reverenter audire.
      - 4. Oblationes in Usum Sacrorum & Pauperum adferre.
      — *Rom.* 12. 6, 7, 8. 1 *Cor.* 16. 2. 1 *Tim.* 2. 1. &. 1. 3. 2. & 2 4. 2. *Tit.* 1. 9.
- **4. Status** cum Apostolorum temporibus, tum Sœculis etiam ad extremum Judicium futuris. ——— *Act.* & *Apocalyp.* Libris.

VII. De Mundo aspectabili. Seu potiùs Corporeo. Ejúsq;

- **1. Toto.**
  - 1. De nihilo in tempore creabatur.
  - 2. Molem istam universam, omnia & singula Dei Virtute & Potentiâ immediatè sustineri & conservari.
  - 3. Totius partiúmq; motus in universum omnes, indéq; formas & effecta propè infinita, Dei Jussu & Nutu fieri, regi, determinari.
- **2. Partibus**
  - 1. Cœlis. Qui
    - 1. Ex Chaô in hanc quam jam cernimus pulchritudinem Dei Verbo efformabantur.
    - 2. Ibidem etiam Dei præsentia est præcipua; h. e. Potentiæ, Sapientiæ, Bonitatis grandiora quasi Vestigia seu illustriora Effecta quàm hic in Terrâ.
    - 3. Hi etiam sunt Beatorum Sedes, [Angelorum scilicet, & Sanctorum hominum Vitâ functorum, saltem post Resurrectionem.]
  - 2. Terrâ unà cum Aere circumfuso.
    - 1. Ea etiam ex Chaô eodem Verbo in commodam & elegantem concinnabatur formam.
    - 2. Eadem Diluvio Aquarum universali propter humani generis universam Corruptionem deformabatur. Quo etiam horribili fato homines Animantésq; omnes periêre, Personis tantùm octo, & cujúsq; generis Animantibus binis in Arcâ quadam ad id fabrefactâ servatis.
    - 3. Ejusdem deniq; præsens facies est non ita olim peritura flammis, at verò ejus conflagratione, Angelorum, hominúmq; impiorum supplicii Locus probabiliter futurus.

— *Gen.* cap. 1, 6, 7, &c. *Psal.* 8. *Dan.* 4. 34, 35. *Mat.* 10. 29. *Act.* 4. 24, 28. *Luc.* 16. 22. 1 *Thess.* 4. 17. 2 *Pet.* 2. 5. & 2. 3. 7. *Apoc.* 4. 22. & 10. 6.

NOTÆ ad TABULAS Dogmatum omnium Christianæ Religionis quæ in Libris Novi Testamenti Canonicis reperiuntur.

Notæ ad Tabulam I.

NOT. *(a)* Omnem omninò cognitionem ad actionem aliquo modo referri oportet. Quoniam in cognitione nudâ nihil melius quàm Passionem quandam jucundam in nobis ipsis experimur: At Actionis effectus longiùs se effert; præterq; actionis sensum aliquid amplius, tum in nobis ipsis, tum extra nos, vel effectum relinquit, vel efficere nititur. Cùm igitur actio plus boni perficiat quàm cognitio, ideo est eâ perfectior, ejusque finis esse debet. Præstantissimarum rerum, Deiq; imprimis naturam, & veritates clarè & facilè speculari mirificâ perfundit animum voluptate: Sed nec eo ferè quicquam aliàs, aut nobis ipsis aut aliis prodesse possumus; nisi efficiat ut aliquid rectè agatur, vel saltem voluntas ad benè agendum inclinetur.

(b) Quæ etiam vox externas Corporis Actiones Membrorumq; motus voluntatis imperium consequentes significatione suâ continet.

(c.) Præcepta de intentione seu consilio *primaria* vocamus, quoniam consilium facta præcedere & solet, & debet; interdum solum ferè sufficit. Quin & priùs potiúsq; fertur voluntas in finem quàm in media; imò ad finem in mediis; adeò ut is solummodo voluntatis objectum videatur. Etenim qui officium aliquod alteri præstiterit, aut in inimicum beneficium propriæ tantùm utilitatis gratiâ contulerit, quam aliâ ratione consequi non poterit; non tam alteri quam sibi bonum voluisse dicatur. Quemadmodum & ille qui sarcinas in mare projêcit, ut periclitanti vitæ consuleret, non adeò bonorum jacturam, sed potiùs suam salutem voluisse censemus. Utcunq; illud sit (subtiliùs enim hæc hoc loco non sunt disputanda) cùm appetitiones finis & mediorum sunt diversæ voluntatis Actiones, distinctáq; habeant objecta, illarum etiam tractationem distinctam servare oportet.

(d) Maximi sane momenti hoc est, & ad benè agendum planè necessarium judicabimus, ubi observatum fuerit, frustrà quempiam se quod justum honestúmq; sit colere profiteri; si nesciat quid sit, quo consistat, aut ubi reperiatur. Fieri equidem potest, ut quis rectum velit, & tamen cùm finis, tum effecti ratione malè agat. Quemadmodum sine dubio illi cöntigerit, qui cum *Epicureis* rectum & honestum ex hujusce vitæ propriis commoditatibus jucunditatibúsq; metiens, illas sibi tanquam bonorum finem & summum præstituendas statuat. Quiq; nec Deum, nec Proximum, nec Parentes, nec Amicos, nec Patriam, in partem aliquam venire; illorúmq; ullam rationem habendam aliam, quam quâ ad illas referantur putet. Fatendum tamen si Dei bonitatem consideremus, credi vix potest illum permissurum quempiam recta sincerè quærentem, tam turpiter hallucinari.

(e) Isthæc omnia Vocabula & Phrasiologiæ, aliaq; in Scripturâ sacra multa, rem unam eandémq; indicant, sed respectu, aut ad aliud ratione variâ consideratam. Quam quidem (ut simplicissimè loquamur) definire licet, istiusmodi voluntatis inclinationem, propensionem, Dispositionem permanentem, seu habitudinem quæ sibi objectum habeat, quâve ultimò feratur ad supremum universi bonum; ejúsque proinde sit effectrix seu causa, quantum creaturæ conceditur. Eò nempe tendit, eò nititur: etiamsi ut quod verum videtur dicam, nihil extra voluntatem ipsam, ejus vi & imperio; sed Dei virtute & actione solummodò revera effectum sit. Appellatur autem hoc ipsum, honestum, quod conjunctum habeat aut habere debeat honorem; justum ab effectu, quòd jus suum cuiq; tribuat; rectum à similitudine lineæ rectæ; sanctum deniq; quòd ratum, inviolabiliter statutum, sancitúmq; fuerit; vel quòd a pravo seu vili usu separatum, dignissimóq; dicatum aut adhibitum sit, eodémq; modo de cæteris appellationibus dicendum.

(f) Quanquam supremus hic nostrarum omnium appetitionum actionúmq; finis, non disertè istiusmodi verbis in sacrâ Scripturâ occurrat; facillimè tamen & certissimè ex aliquot locis collatis colligitur. Etenim in omnibus, etiam minutissimis edendi & bibendi actionibus ad Dei Gloriam respicere jubemur; pariterq; etiam ad bonum Proximi, ut omnia cum caritate fiant; deniq; nostræ saluti prospicere. Isthæc ergo omnia simul semelq; Atqui ex hisce tribus summum illud maximúmq; bonorum componitur.

(g) Scriptura loquitur cum vulgo seu cum maximâ hominum parte; proindeq; verbis utitur res valde diversas significantibus. Ita fit ut virtus primaria & secundaria, etiamsi revera multùm discrepent, eodem tamen nomine appellentur. Nam *Temperantia* dicitur,

ea animi dispositio, quâ palati voluptatem ad finem ultimum debitum referimus; & ea cibi potûsq; sumptio quæ revera huic fini inserviat. Quæ duæ virtutes non modò naturâ aliæ sunt; sed & habitu & usu & exercitio frequenter separantur. Ita ut hanc postremam sæpè accuratam satis videamus; ubi istius Prioris nihil omnino reperire licet. Temperantes utique multi dicuntur qui nihil de debito fine cogitant. Ita porro virtutes quædam speciales propriis carent nominibus, atq; illud sui generis mutuantur vel etiam alterius speciei. Uti Eminentiam, Dignitatem, Gloriam, Magistratum respuere, eóve esse erga isthæc quo decet animo, nostris generali voce *Humilitatis* appellatur: aliis autem latinè magis Moderatio, Modestia; imo interdum *Temperantiam* dictam reperias. *Modestiæ* itidem nomine, & pertinaciæ absentia, & justa de nostris imperfectiouibus opinio, & verecundia, aliaq; significantur. Virtutes etiam plures periphrasi tantùm & descriptione exprimuntur. Permultæ deniq; sunt quas videtur hûc usq; homines, vel non satis observasse, vel non omnino, uti in aliis factum distinxisse, etiamsi vitæ usus perinde postulet. Illud observari licet in iis quæ circa animi dotes versantur aliisq;.

(h) Hæc autem præcepta ita descripsimus, non quòd sacra Scriptura hoc modo in omnibus loqui soleat; sed ut naturam & originem virtutis, officiorúmq; omnium, quæ ibidem continentur clariùs & distinctius unà ostenderemus. Quanquam & sacram Phrasiologiam non neglexímus, ubi id commodè fieri potuit; eámq; ob causam, nec Scholasticorum barbaram Latinitatem interdum delicatiùs respuimus.

Notæ ad Tab. 2.

(a) ACTIONES Internas intellige voluntatis. Etenim illud observandum, quæcunque præcepta externas Actiones connotant; ea non tam de iis, quàm de internis volitionibus externas istas Actiones imperantibus aut vetantibus sunt accipienda. Ita is omnibus externi cultûs officiis functus censeri debet, qui iis interesse sincerè cum Davide cupiat, etiamsi per morbum aut Persecutionem aut exilium impediatur. Baptismi & Eucharistiæ Præcepta implet, qui ea corpore præstare animo statuat: Sed vel morte subitâ abripitur, vel aliâ quadam necessitate ab iis arcetur. Sincera Voluntas suum cuiqu; tribuendi & benefaciendi, licet factis externis id præstari nequeat ; est Justitia & Caritas. Neq; is temperans habetur, pui quâvis occasione nimium vini flagitat, datúmq; biberet; neq; magis iste ebrius,qui tantum vini deglutire cogeretur,ut rationem turbaret.

In his & similibus, sola voluntas actio hominis æstimatur, & pro facto a Deo habetur. Actiones autem externæ, sunt tantùm internarum indicia; nec sine voluntate quicquam culpæ aut Laudis habent. Et quidem jubemur non tam eas adhibere quam velle adhibere, ut animi propositum exequamur, & Deum operibus glorificemus, aliisq; bono exemplo præluceamus.

(b) Cum illud quod nos Deum appellamus, non nisi unicum esse possit; cui nihil aut par aut simile, si naturam integram spectemus, uspiam reperiatur; cultus illi tribuendus omninò proprius & singularis esse debet. Qualis autem ille sit, in nonnullis præceptis diximus: Lectoris tamen gratiâ distinctiùs & uberius hic describemus, multorum explicationes & rationes quæ desiderari fortasse possunt, aliàs daturi.

Generalem imprimis cultûs naturam istiusmodi esse putamus. Actionem hominis (nam de eo solùm loquimur) quâ vel ens aliquod seipso in genere perfectius & præstantius, & concipit & judicat, vel quasi tale judicium haberet, affectibus ad id commovetur & voluntate disponitur; vel deniq; conceptum talem, tale judicium, tales affectus voluntatisque dispositionem, signis quibusdam aptis & idoneis prodit & significat. Id hîc modò notari vellem, in isthâc definitione, & tria isthæc simul sumpta, & seorsim singula cultum appellari: Quorum duo priora cultum internum, postremum autem cultum externum vocitare solent. Cum autem res quæq; vel absolutè & præcisè per seipsum, vel comparatè cum aliâ quapiam spectari possit, Deum etiam eodem modo considerare licet. Cultus Dei solitariè & præcisè spectati istiusmodi erit. (1) Verum distinctum & adæquatum conceptum, verúmq; de eo judicium animo efformare. Et quidem in genere illum esse absolutè & purè, atq; adeo infinitè perfectum; (pura enim perfectio nullum uspiam habet defectum) nihil proinde in illius conceptu admittere, illive judicio nostro tribuere, quod minimam imperfectionem, aut defectum habeat, includat, inferat. Perfectio autem ista tribus naturæ attributis non incommodè contineri videtur; nempe scientiâ, potentiâ & bonitate, ratione intensionis, extensionis ad objecta, & durationis planè infinita; id quod hic ostendere, & instituti operis brevitas, & paginæ angustia non sinent. (2) Perfectissimam istam naturam,ejúsq; singula attributa agnoscere,stupere,admirari; istam ipsam diligere,cupere,mentis nostræ cum eâ per amorem & contemplationem,illiúsq; vicissim in nos virtutem & illapsum conjunctione gaudêre; ab illa petere & sperare; illi gratias agere

agere ultimò, absolutè, solitariè, sine respectu ad aliud quodvis; illam timere & imitari; illius denique voluntati nostram accuratissimè conformem præbere; ita ut quicquid illum velle constiterit, & nos pariter velimus. Facienda autem hæc sunt totis animi viribus, in omnibus actu aut habitu (quod aiunt) perpetuò, quantum cuiq; naturæ pro suo modulo concessum fuerit. (3.) Mentis hæc interiora, illorumq; adeo objecta, Dei attributa infinita, signis maximè idoneis & ad ea significanda aptissimis adeóq; imprimis ab ipso Deo sive in tempus aliquod tantùm, sive in perpetuum constitutis, loci etiam & temporis ratione maximè universalibus, sive naturâ, sive usu libero (qui plerumq; naturam sequitur) sive institutione, deniq; evidentibus & distinctis palam testari & profiteri. Hujusmodi autem signa sunt (nam de his potissimùm feralè Bellum jam diu exarsit) (1.) verba, atq; ex his compositæ Laudationes, Hymni, gratiarum Actiones, Preces, Vota, Juramenta, Conciones aliáq;. Deinde (2.) corporis gestus, quibus complector vocis flexiones, ores varias species, oculorum manuúmq; motus, capitis apertionem, opertionem, inclinationem, genuum flexionem, corporis incurvationem & prostrationem, aliáq; quæ hominum usu occurrunt prope infinita. Hûc etiam adde (3.) actiones illarúmq; effecta, cujusmodi sunt rerum carissimarum oblationes, Epulæ, Jejunia, conventuum celebratio, temporis loci ministrorum vestitus aliarúmq; harum actionum circumstantiarum institutio & designatio, ipsiq; adeo Dies festi, Templum, Aræ, Sacerdotes, Ministri, Vestitus, reliquáq; supellex, quæ ulla ratione ad hæc pertinere queat. Accedat voluntatis divinæ proindéq; nostræ (cujus conformitatem voluntati divinæ interni cultûs partem & quidem præcipuam diximus) effectio seu externa executio, ut spiritu & corpore (uti loquitur Scripturâ) Deo inserviamus. Multa autem ex hisce ut cultûs interni religiosi, adeóq; divinarum perfectionum sint signa maximè commoda & idonea, certis quibusdam circumstantiis sunt peragenda. Ita quidem exempli gratiâ, Hymni, gratiarum Actiones, Preces, Conciones, ab universis simul Creaturis si fieri posset, essent celebranda; sed cùm hoc fieri nequeat, saltem à quam plurimis eodem loco congregatis, eodémq; cum aliis tempore, locis diversis & longissimè dissitis, frequenter adeò ac res cultorum ferre possunt, constanter, statísq; nunquam cessaturis temporibus. Hæc autem sunt signa idonea cultûs interni religiosi vel nulla sunt; & verbis quidem nudis longè meliora, adeóq; cultus ipse religiosus externus. Quod autem Sacrificium, unicum cultum externum Dei proprium nonnulli volunt, id nullo judicio faciunt: Cùm Preces, Laudationes, gratiarum actiones publicæ & solennes, sunt divinorum attributorum interniq; cultûs religiosi perinde signa naturalia, & instituta & usu recepta, imò quidem probabiliter antiquiora quàm ulla sacrificia. Quin & istæ hæc olim semper sunt comitatæ; & Judæi hodie cùm hæc secundum Legem suam offerre non liceat, istas solas horum loco substituunt. Porrò mente solâ precari, videtur cultui religioso proprium; utpote de καρδιογνωσία nostræ opinionis Argumentum. Ecce tandem cultûs Dei in se spectati aliqualem descriptionem! Unde hoc saltem impræsentiarum observare libet; nec nos homines nec Creaturas excellentissimas posse Deum colere toto qui illi debebetur cultu. Nec enim aut numerum, aut Magnitudinem, aut Naturam divinarum Perfectionum plenè aut clarè animo concipere, neq; eas intentione aut vi mentis infinita mirari, amare *&c.* neq; omnes eodem loco unà ita convenire possunt, ut signis quibusdam cultum internum sibi invicem significent. Paucis addemus cultum Dei comparatè spectati, qui talis est. (1.) Conceptu & judicio eam supra omnes alias Creaturas ὑπεροχὴν Deo tribuere, quæ illi revera competit. Ea autem varia est pro ratione perfectionum quas Deo diversorum graduum Creaturis dare placuit. Quædam enim ad divinam Naturam propiùs accedunt, quædam ab eâ longius removentur; utut omnis finiti ab infinito distantia infinita, adeóq; æqualis videatur. (2.) Infinitum affectuum & obsequii gradum Deo dare, supra illum quem Creaturis dare solemus. Sed cum Natura omnis finita qualis est nostræ infinitæ intentionis, Honoris, Amoris *&c.* sit incapax, atq; etiam cuivis alteri seipsa superiori aliquid dari debeat; supremus quem quæq; naturæ capere potest gradus Deo soli servandus. Deinde & illud, cùm ad Deum aliámq; rem quamlibet attendamus eáq; conferamus; hec ferè penitùs negligenda, totáq; mentis vis ad illum convertenda; ita ut maxima quæ fieri potest differentia inter utriusq; cultum internum constituatur, (3.) Signis istius Dei ὑπεροχῆς, nostriq; de ea judicii, & affectuum, & obsequiosæ voluntatis illi judicio convenientium, aptissimis & optimis uti. Unde necessario sequitur, cultum illum Dei absolutè spectati; quem antea descripsimus, soli Deo reddi debere. Dei enim ὑπεροχῆς optimum, imo unicum est signum & indicium, cultus illius internus externúsq; singularis, qui nulli unquam Creaturæ præstatur, utpote quæ ad naturam infinitam unicè pertineat. Longiores fortè hîc sumus, quàm feret annotationis ratio, atq; ideo verbo tantùm monebimus, omnem in cultu errorem seu peccatum in hoc unico consistere, quod Natura finita cum infinitâ in cultu æquetur. Illud autem perindè fit, cultui divino detrahendo aliquid, eúmq; adhibendo, quæ ulla ratione imperfectæ naturæ sit proprius (quod vitium nomine caret, quò etiam colere Deum per imaginem referimus) ac cultui creaturæ addendo interno externòve, quod Deo soli debetur; quódq; Idololatriam appellare consuevimus. Neq; tamen est illud prætereundum, in utroq; genere esse peccati gradus, atq; videri in primo plus criminis & culpæ gravioris, quàm in secundo reperiri, modo gradus sibi

sibi invicem respondeant. Plus noxæ & periculi habet, Deo qui natura omnium præstantissima creditur, figuram humanam, ejusq; naturæ affectus & defectus & vitia (exemplo utor) uti ignorantiam, errorem, scientiam imperfectam, libidinem, fastum, sævitiam, aliorum malo & molestiâ delectationem, atq; id genus alia tribuere, taliq; de eo opinioni, affectibus obsequio verbis actionibus factisq; congruis eum colere; quàm creaturæ alicui (Angelo puta) Omniscientiam, aliudve Dei attributum, cultúmq; alium falsum illud judicium consequentem dare. Neque tamen ideo Idololatriam non esse labem & pestem fœdissimam, humanam naturam facile occupantem quis arbitretur. Nam ea quæ externa dicitur etiam internæ causa in ipsis Idololatris aliisq; spectantibus brevi est futura. Interna autem divinum nobilissimúmq; hominis animum & deprimit & perdit. Nam non tantùm impedit ne beatissimam præstantissimámq; istam naturam uspiam cognoscat contempletur, ejusq; ad imitationem assurgat: Sed in pejus paulatim prolapsura, illius loco sæpe nobis ipsis paulo superiorem, sæpe etiam inferiorem, interdum abjectissimam vilissimamq; supponit creaturam; cui supremum honorem, infimámq; summissionem turpiter reddere cogit. Neq; sæculo Religione vera bonisq; literis illustrato, quispiam facilè crederet, quousq; hac ratione corrumpi & vilescere potest humana natura & ingenio & moribus, nisi ejus rei hominum longè pars maxima, & olim & hodie tristissimum dedissent documentum. Quin & inter eos qui purissimam Religionem & discunt & profitentur, quiq; tantos clamores adversus Idololatriam externam non immeritò edere solent, innumeros Idololatriæ internæ verè & propriè reos reperias. Etenim hi omnes isthoc crimine tenentur, qui creaturarum quicquam totis animi viribus, aut supra Deum cupiunt, sperant, amant, æstimant, aut ei confidunt. Neq; per figuram dixit Apostolus avaritiam esse Idololatriam, aut nonnullos ἀτάκτως ambulantium ventrem *Deum* habuisse. Id quod ex iis quæ diximus manifestum est. Libidines, vitia, rerum terrenarum amor immodicus, stolidissimi perditissimiq; affectus animum occæcant; qui deinde quidlibet fere adorabit quod isti jusserint, iisdemve abblandiatur.

Col. 1. 3.
Phil. 3. 19.

Notæ ad Tab. 3.

(*a*) ISTiusmodi imprimis sunt qui Deistæ appellari solent, quiq; supremum omnium factorem unicum agnoscunt: Sed de Jesu Christo nesciunt quid sentiendum sit; vel etiam evangelicæ historiæ veritatem, saltem integritatem planè negant: Naturalis autem Religionis cultores devotissimi haberi volunt. Hujus culpæ expertes isti videntur qui cum nunqam de Jesu Christo Mediatore quicquam scire potuerint, Deum verum proximè adeunt. Quin & Deum etiam ipsos Judæos populum suum electum, hunc Messiæ honorem perq; ipsum beneficium celasse verisimilius. Utcunq; ante ejus adventum nihil tale aut præceptum aut factum accepimus; atq; adeò priscos sanctos, Davidem puta aliosq; sine ullo interpellatore precatos Deum legimus; etiam cum ille ardentissimè peccatorum veniam exposceret, Psal. 51. Imò id olim istis licuisse ipse Mundi Servator insinuat, cùm Joh. 16. 24. ita alloquitur discipulos. *Usq; adhuc non petiistis quicquam in nomine meo, petite & accipietis ut gaudium vestrum sit plenum.* Non tamen est dubitandum, quin omnes piorum preces, Jesu Christi causâ benignum à Deo suum tulerint responsum. Nam unicus is est, qui Deum offensum hominibus propitium reddidit meritis vel prævisis vel præstitis. Nobis autem Christianis præcepta tam expressa, ut omnia nomine Jesu Christi faciamus, gratiasq; Deo Patri per Christum agamus (Coloss. 3. 17. & Ephes. 5. 20.) & tandem ut nomine Jesu, nusquam autem cujuspiam sancti (quod neq; uspiam factum legitur petamus, Joh. 16. 24. & 14. 13.) non modo positiva, sed & exclusiva videntur: ita ut illius nomen duntaxat in istis semper adhibendum sit.

(*b*) Vehementer autem errant, graviterq; peccant, qui docent, qui faciunt, qui jubent Angelos Sanctosq; vitâ functos omninò invocare; multóq; magis eo quo est ab illis factitatum modo. Operæ pretium erit hic paulisper audire, quæ illi hic mala, vel antiqua quidem, non tamen satis, nonnulla retinuêre; vel plura nova in Ecclesiam Christi invexêre, qui se solos Catholicos esse jactant, aliósq; eo honore longè digniores magno despiciunt supercilio. Nihil autem falsi illis affingemus. (1.) Vel Verbis vel usu ab iis docetur, bonum atq; utile esse sanctos suppliciter invocare, & ad eorum opem auxiliúmq; confugere; idq; solenniter cœtibus publice indictis, ad Aras in Templis ad eum usum erectis, locis omnibus unà cum aliis dissitissimis, statis perpetuò temporibus. Quin & (2.) precibus, laudibus, gratiarum actionibus, immediate & directè illos adeunt, quantum verbis significari solet, nullâ Dei Christive factâ mentione. Nec corporalia modò & temporaria, quæ ad Corpus vitamq; hanc pertinent; sed & spiritualia & æterna ab iis petunt. Cujusmodi sunt peccatorum remissio, Mens bona, gratia virtutesq; omnes, vita æterna. Neq; sanè sibi ipsis tantum, sed Ecclesiæ aliisq; omnibus quibus est opus. Quod si hujus causæ Patroni dixerint (quod nondum illorum dixit Ecclesia) se hoc pacto orantes ita capi debere, ac si

ſanctorum tantùm interceſſionem, poteſtatémq; à Deo acceptam, (qualiſcunq; tandem ea ſit) quam neq; divinam neq; nimiam eis tribuunt, ad illorum porrigi auxilium efflagitent; ſi inquam iſtiuſmodi obtenderint, cur non ſtylum ritúſq: multos mutant? Cur non inſolentiſſimam verborum ἀκυρολογίαν, quâ nunquam mortalium quiſquam eſt uſus, quæq; alium planè ſenſum certè ab imperita plebeculâ non corrigendum ingerunt, adhuc pertinaciter uſurpare volunt? (3.) Non voce tantùm, ſed & mente ſolâ illis ſupplicare licere aiunt, iiſdémq; etiam perinde ac Deo peccata confiteri; quod vel ſæculo 12mo inaudium. Et tamen (4.) Fratres ſuos qui hæc credere & facere nequeunt, procul abeſſe jubent, Eccleſia ſuâ ejiciunt, ſuppliciis plectunt, ipſisq; cœlis quantum poſſunt excludunt. Ad quæ omnia probanda (neq; enim hîc multis locus) conſulantur Conc. Trident. Catecheſis Rom. Breviarium, Miſſalia, Bonaventuræ Liturgia & Pſalterium, aliáq; neq; ſcio an notiſſimum illud Pſalterium, ab ullis verbis ad Virginem Mariam abſtinuit, quibus David aliiq; pii ad ipſum Deum ſunt uſi. Adeò ut ſanctus ille Vir divino Spiritu afflatus, parùm aut nihil quod Deo proprium ſit expreſſerit uti oportet, vel ille alter peſſimè fuerit imitatus. Alii contrà verè hâc in parte Catholici hæc ſibi nullo modo licere putant. Idq; (1.) quoniam etiamſi ſanctos ad cœleſtes ſedes evectos, omnibus, ſed Eccleſiæ præſertim, omnia bona optare & apprecari non dubitent: longè tamen probabilius exiſtimant, eos aut res aut perſonas noſtras, niſi rarâ quadam & ſpeciali occaſione, neutiquam cognoſcere. Idq; etiam ex Scrip. Jeſ. 63. 16. ipſo etiam Auguſtino interprete * ubi legitur Abraham neſcivit nos, & Iſrael ignoravit nos, & alibi. Multóq; adhuc certius eos non noſſe omne id, quod a multis eodem tempore ubiq; Terrarum votis depoſcitur. Non tamen neſciunt quas rationes,& meras conjecturas illi quibus hic mos invocandi ſanctos vel perplacet, vel non diſplicet, afferre ſolent: Sed bonâ conſcientia profitentur, ſe omni præjudicio pro viribus amoto, nondum potuiſſe hûc uſq; videre unam, quæ mediocriter prudentem Chriſtianum vel unâ tentare oratiunculâ, quaſi jactâ alea movere ſuperos, multò minus id ſibi conſtantis Religionis negotii dare, tanto temporis diſpendio (ne quid amplius) inducere valeret. Neq; Viro ſapienti, nedùm Deo interroganti quare id feciſſet, reſpondere ſuſtineret. Aliud eſt animi motu & quidem ſi propoſitum ſpectes non malo, ſin verò media, imprudenti abripi; aliud verò ſobriè ſentire & agere quæ vel Revelatio certa jubet, vel ratio ſuadet. Non eſt diſſimulandum, patrum quorundam ſcripta quædam legentibus, illos Rhetorum potiùs, quàm Philoſophorum ſtudium in iis ſaltem probaſſe; ſanctiſſimiſq; viris non ſemper hoc privilegium conceſſum, ut non affectus plusquàm rationem ſequerentur; qui eo ipſo interdum certiùs & citiùs in errores inducunt, quòd pii non modò videantur, ſed revera ad id quod bonum ſit concitatiori ferant gradu. Nam inde ſæpè accidit, quòd omnia, quæ iis fovendis augendiſq; inſervire exiſtimamus, non modò vera eſſe facilè credimus ipſi, ſed & aliis dubitantibus tantùm impietatis notam ſtatim inurimus. Atq; ut illud jam non importunè moneam, veræ & diſtinctæ cognitionis rerum, vix ullum gravius aut frequentius impedimentum reperiri puto, quàm ornatum Sermonem figurataſq; locutiones; nec affectatum modò, ſed & nativam, nullóq; judicii pondere fluentem, aut etiam ruentem eloquentiam. Nam iſtiuſmodi ingenia non tam rem ipſam, quàm appenſa quædam, ſimilitudines præſertim, & quidem quaſi currentes oculis ſtringunt; levéq; illud judicium quo utuntur, non veritatis perceptioni, ſed affectibus ferè permittunt. Sectabantur porrò patrum nonnulli, præſertim ubi ſacræ literæ tacebant (quas inter primus origines) Philoſophiam Platonicam, inter gentes certè nobiliſſimam; ſed ſæpè Cor & Caput inflantem potiùs quam ſolidis implentem; quamq; illi ante perceptam Religionem imbiberant, nec rerum ἀδηλότητα ſatis cautè perpendentes, nec accuratis ratiociniis ſed conjecturis uſi. Deinde & illud pluſquam conjicere licet, Patres quoſdam (nam de quibuſdam tantùm loquor) adversùs Gentiles dimicantes, lætam ſe reportaſſe victoriam meritò arbitratos, cùm eos ad Chriſtum captivos duxiſſent. Ea verò ut eſſet facilior & frequenticr, ſapientiſſimorum inter eos opiniones quaſdam, nec ſibi diſplicere volebant, nec Cæremonias nonnullas in ſuam Religionem adoptare recuſabant. Hoc igitur Conſilio vel affectu ducti, non inviti Cœleſtium invocationem quandam admittebant, modò ἥρωας ἀγαυοὺς, ſuperorum ſedibus dejici à Martyribus ſineretur. Notandum deniq; eos hæc interdum docuiſſe tanquam veriſimilia, interdum incerta, uti à Philoſophis fieri ſolitum; nunquam verò tanquam ſuæ Religionis Dogmata, à ſuis primis autoribus Chriſto aut Apoſtolis, ſeu ſcripto ſeu voce tradita, nedùm ab omnibus Chriſtianis recipienda. Quare non adeò magni momenti in hâc quæſtione putandum, ſi demus aliquid (quod meo judicio non quidem negari, ſed excuſari debet) temporis rationi, ingenii exercitationi, privatis deniq; horum opinionibus & affectibus, qui nihil ingentis à jacto iſto ſemine quæ crevit poſtea in Eccleſiâ meſſis mali prævidebant. Hinc tamen nonnulli habent pro hodierno ſanctorum cultu ex argumentis ſpecioſiſſimum, atq; ex ſuis optimum. At verò ſi Religionis Chriſtianæ negotia ratione tam levi, imaginatione tam lubricâ & precariâ gerantur, ejuſq; ſanciantur dogmata publica ritúſque; brevi forte Decretum videremus, ad abſentes & hîc peregrè abeuntes ſanctos, ſolemnes orationes quaſi literas mitti debere; niſi ipſi ad ſupplices ſuos reverſi, ſe nihil precum aut votorum noſſe dicerent. Quare enim & mutuæ caritatis, & dulciſſimæ amicitiæ, & Conſilii Solatiive præbendi

* Lib. de curâ pro mortuis, cap. 13.

præbendi causâ, ubiq; volitantes Angeli, aut ipſe Deus, non hæc ſanctis indicare curent? Quare etiam fieri nequit, ut imaginatio precantis vehementiſſima, ſpiritui alicui naturæ omnia pervadenti, ideas quaſdam motûſq; non imprimat, quæ deinde invocati cognatam quaſi imaginationem fortiter feriat? Annon Hiſtoriæ quædam narrantur quæ hûc ſpectant? Quis naturæ ſubtilitates, rerúmq; vires omnes perſpicit? Quis autem Omnipotentiæ, cui non ingrata hæc & honoris & amoris erga Sanctos, interq; homines officia putemus, modum & terminum ponat? Eſt quidem hoc Dogma non innocuum modò, ſed & tale ad quod ipſa Caritas ultrò invitat. Horum & conſimilium nunquam quiſquam videbit finem; ratione quâ iſtiuſmodi credendi agendiq; Leges in Eccleſiam invectæ fuerint, pari poſſunt & alia innumera; quæ Diſſenſionum & Schiſmatum donec ea ſteterit, origo perpetua futura ſunt; quorúmq; cauſas tollere ſatiùs erit & faciliùs, quàm ea ipſa mala ſanare. Neq; diù multis, nedùm omnibus placebunt incerta, aut etiam veriſimilia tantùm, præſertim pro imperio & ſub magna pœna obtruſa; quod ſœculo uno probatur, improbatur altero: Quod jam arridet, mox ridebitur. Benè autem cum Eccleſiâ agitur, ſi manifeſtè vera & utilia ab hominibus Sœculi, pro eo quo ſunt faſtuoſo & diſſoluto ingenio, eâ qua par eſt veneratione & affectu recipiantur. Non quidem diffitemur quædam in Religione certiſſimâ, & ſapientiſſimè conſtituta, ſciolis nonnullis, contentioſis, curioſis, temerariis carpi & culpari: ſed eò acriùs invigilandum, ut quæ doceantur agantúrq; in Eccleſiâ, ſolidiſſimum & habeant Fundamentum, & viris prudentibus & honeſtis habere videantur, adeò ut rigidiſſimum examen ſuſtineant; quóq; propriùs & penitiùs inſpiciantur, eò veriora appareant & pulchriora. Quod ut fiat, illud inter alia non eſt ſpernendum monitum, ne in rebus conſtituendis ad cleri opes & Dignitatem omnia referantur, ſimulq; vulgo ſplendida, negotioſa, puerilia quævis, ſolidæ Virtutis Religioniſq; internæ loco cupienti ferè ſemper, ſæpè flagitanti, liberalitèr nimis apponantur; (quæ duæ multorum errorum & ſuperſtitionum quaſi ex pacto conſpirantes, uti in Sanctorum Imaginúmq; cultu, cauſæ extitêre,) neq; tamen ex alterâ parte malorum hominum brutali aut Mechanico ingenio, Religionis bonarúmq; literarum contemptorum, Sacrilegiæ, Avaritiæ, Potentiæ & Invidiæ quicquam concedatur. Sed de his hoc loco abundè ſatis. Addunt iidem (2.) eo modo iiſve circumſtantiis quas diximus, ſanctos ullámve Creaturam invocare, eſſe ſigna & argumenta univerſalia, naturalia, divinitùs inſtituta, uno verbo maximè commoda & idonea Omnipræſentiæ, Potentiæ, Scientiæ, Bonitatis ſummæ. (Vid. Tab. 2. Not. *(b)*) Illud verò eſt cultus externus Deo proprius, adeóq; Creaturæ alicui non ſine *Idololatriæ* crimine tribuendum; etiamſi ipſi Cultores interea, & de Deo & de Sanctis rectè ſentirent. Hiſce adjiciunt (3.) hujuſce Sanctorum Angelorúmq; cultûs, nec Dogmatis, nec conſilii, nec Præcepti, nec exempli volam aut veſtigium in ſacris Libris Canonicis, primorúmq; Religionis Chriſtianæ duorum ad minimum Sœculorum Hiſtoriâ uſpiam reperiri. Et quidèm fieri poteſt, * quod a noſtrorum nonnullis eſt obſervatum, (nè Adverſarii eos cauſæ ſuæ diffiſos aliquid celaſſe putent) ut interceſſionis particularis (Angeli, Sancti, unius defuncti pro altero ſuperſtite) Dogma, circa tertii Sœculi medium; Invocationis autem ritûs Sœculo quarto fere exeunte irrepere inciperet: Nè Sancti Chriſtiani Platonicorum Geniis & Heroibus inferiores viderentur. Quare & affectibus erga amicos cariſſimos vitâ functos, ipſúmq; fortè Religionis uti putabant honorem, & Eloquentiæ ſuæ nonnulli plus ſatis indulgentes, aliáſq; ob cauſas, ſibi ab iſtis opinionibus ac ritibus minimè autem adeò craſſis ac Pontificiorum hodiernis minùs cavebant; quibus tamen & illi ipſi interdum contraria & ἀσύςατα ſentiebant, aliiq; Patres, uti *Epiph. & Augus.* ſe opponebant. Etiamſi (*a*) *Bellar.* locum (*b*) *Juſt.* Mart. De Angelorum cultu inſigniter malâ fide reddat, vel reddentem ſequatur; uti locum conſulenti & res ipſa loquitur; Aliiq; viri docti nobiſcum ſentiunt. (*c*) Quin & illum & alios Autores in cauſæ ſuæ Patrocinium, vetuſta interdum fingere vel ficta laudare, interdum corrumpere, ſæpè perperam interpretari notius eſt quàm ut ego dicam. Addi & hic debet, tam ingenti Sanctorum Catalogo, & eſſe & fore nonnullos quorum vel ficta vel falſa miracula, & phariſaica jejuniorum auſterioriſq; vitæ Sanctitas; id eſt vel larvata vel ſuperſtitioſa, vel apparens tantùm vel in errore verſans, in illum honorem evexêre. Tùm verò præcipuè cùm eſſent iſtiuſmodi, qui vel quæſtum, vel autoritatem, aut Aulæ aut Religioni Romanæ ſecum adferrent. Hiſce inſtructis non adeo difficilis in Cœlum aſcenſus; neq; certè tutò fidendum illorum judicio, qui & decipi & decipere, & poſſunt & volunt; quorúmq; adeò utrumq; intereſt. Etiamſi ſciamus probè, quanta cum curâ hæc a ſe tractari jactetur. Quare tandem ab iiſdem dicitur (4.) ſe mirari horum ineptiam, imprudentiam & audaciam, qui Angelorum Sanctorúmq; cultum magnam partem privatæ publicæq; Religionis eſſe volunt, & etiam ſe ſibi ſua habere non contenti, aliorum omnium cervicibus ſub maledictionis & inferni pœnis, jugum imponere conantur, & communis ſacroſanctæ Fidei Articulum, Societatiſq; Chriſtianæ conditionem immobilem figunt.

* Voſſ. Theſ. Theol. de Invoc. Sanc. Medi Apoſt. Anglicè.

a De ſanc. beatit. lib. 1. cap. 13.
b Apol. 2.
c Vid. Veſſ. de Invoc. Sanct. diſp. Theſ. 3. & 7. & loci noſtri cenſ. Patrum ubiq; ferè, etiam refragante & indignante Labbeo.

(*c*) Iſthoc primis Rel. Chr. ſœculis ſæpe contigit, cùm ob fidem Chriſti graviſſimæ Perſecutiones vehementiùs ingruerent. Multi tum temporis fidem ſuam celabant, multi abnegabant, Perſecutionum flammas augebant alii, Infideles aut Apoſtatæ. Erant etiam quidam novæ Religiones jurati Hoſtes, qui omni ſtudio eam ſubvertere, penituſq; delere connitebantur.

(*d*) Quem-

(d) Quemadmodum Unitas, Conſenſus, conſpiratio voluntatum indeq; actionum, formam & eſſentiam dant Societati alicui; ita differentia, diviſio, diſſenſus directè proximéq; eam deſtruunt & abolent.

Hîc vero obſervari poſſunt gradus quaſi quinq; (1.) cùm inter ejus membra ſit partium ſtudium, eóq; nitantur, id agant, ut ſeipſa aliáq;, à voluntate communi, ſeu Societatis Legibus abducant & divellant. *Factio* hoc recte dici poteſt. (2.) Cùm vero membra aliquot in aliquibus rebus à communi voluntate revera diſſideant & ſecedant, *Seditio partialis* appellatur, Cùm porrò (3.) membra quædam communi voluntati ſe prorſus ſubducant, nec eam ampliùs agnoſcant; ſed ſuam agendi libertatem integram ſibi reſumant, *Seditio totalis* vocatur. Quod ſi (4.) reliquis membris quibus Societatem adminiſtrandi munus incumbit, pœnarum legitimarum vi ſeditioſos & defectores in ordinem cogentibus vi etiam obſiſtatur, *Rebellionem* vocare licet. Deniq; (5.) quod extremum eſt, ſi inferiores quorum officium eſt parêre, ſuperiorum leigtimorum locum injuriâ invadant & occupent, eámq; poteſtatem & autoritatem ſibi arrogent, ut alios etiam invitos ſibi obtemperare cogant, *uſurpationis* nomen ferè obtinuit.

Notæ ad Tab. 4.

(a) CArnalitas, *vivere & ambulare ſecundum Carnem*, & *in Carne eſſe*; cui opponitur *ambulare & eſſe ſecundum Spiritum*, in ſacrâ Dialecto latiùs quidem ſignificat, nempe ea omnia animi vitia ad quæ, uti nos jam habemus, *Carne* noſtrâ, ſeu corporis noſtri quibuſdam diſpoſitionibus & temperamentis malè compoſitis & incommodis, inclinationes ſeu propenſiones quaſdam pravas voluntati imprimentibus ferimur. Qualiter in Superbiâ, Malitiâ, Invidiâ, κενοδοξία, Ambitione, Iracundiâ, aliiſq; experimur. Ita *Gal.* 5.19. Apoſtolus appellat *Carnis opera* non modò Adulterium & Scortationem (quæ ibi omnes extra conjugium illicitos amores adverſùs nonnullos ſignificare notandum) ſed & Idololatriam, Veneficium, Inimicitias, Invidias, Diffidia, Hæreſes & Excandeſcentias aliáq;.

(b) μονογαμία Chriſtianis præcipitur; 1 *Cor.* 7. 2. dicitur enim vir quiſq; ſuam uxorem [non ſuas Uxores] habeat; quemadmodum quæq; Uxor ſuum Virum non vero Viros, quod nunquam factum aut permiſſum. Multò minùs concubinatus unquam apud Chriſtianos toleratus. Ita etiam Servator *Mat.* 19. 7. reſpondens Phariſæis de divortio quærentibus Deum ait feciſſe Maſculum & Fœminam, & dixiſſe propterea derelinquet homo *&c.* Et erunt *hi duo* in carne unâ; *non hi tres aut quatuor* inquit *Tertull.* * Idem etiam hoc
manifeſtum videtur ex *Eph.* 5. 23. ubi Chriſti ad Eccleſiam relatio, comparatur ab Apo- De Monog.
ſtolo conditioni conjugali. Chriſtus autem non niſi unicam habet ſponſam. Atq; hunc porrò ſacri textûs ſenſum, & Teſtimonia Patrum, & perpetua Eccleſiæ praxis, & Chriſtianorum omnium conſuetudo ſatis ſuperq; ingenuis confirmant: perverſis & diſſolutis nihil
ſufficiet. Exercemus, inquit *Juſt. Mart.* Pietatem ſub vite ſuâ quiſq; ſedens, hoc eſt Tryp.
[μόνῃ τῇ γαμετῇ γυναικὶ ἕκαστος χρώμενος] ſola nupta ſuâ muliere quiſq; contentus. Idemq; ibidem Judæos monet ut Deum potiùs quàm cæcos ſuos doctores ſequantur, qui illos qua-
tuor aut quinq; uxores habere permittebant. Et Athenagoras [ἢ οἷος τις ἐτέχθη μένειν ἢ ἐφ᾽ Legat.
ἑνὶ γάμῳ] manet quiſq; vel ut natus, vel ut nuptiis unicis copulatus. Quod ibidem de ſecundis nuptiis poſt dimiſſam uxorem forte intelligi poteſt. Quòd ſi iſtas non ſibi licere
putabant Chriſtiani, multò minùs duas ſimul uxores ſumere. Rurſus *Clem. Alex.* Idem Strom. lib. 3.
Vir & Dominus non ampliùs concedit Polygamiam [πολυγαμίαν συγχωρεῖ] introducit autem
monogamiam [μονογαμίαν δὲ εἰσάγει] propter liberorum procreationem, *&c.* Deniq; *Lact.* Epit. lib. 6.
Qui habet conjugem nihil quærat extrinſecùs, ſed contentus eâ ſola carnem caſtiget. Et paulò poſt, ſed ſicut Fœmina Caſtitatis vinculis obligata eſt, ne aliud concupiſcat, ita vir eádem lege teneatur. Fieri quidem vix aliter potuit ut Chriſtianorum nonnulli cùm primùm eam Fidem amplecterentur, pro Judæorum aliorúmq; orientalium more, non plures ſimul alerent Uxores; neq; ſtatim præter unam reliquas dimittere juſſiſſe Apoſtolum, niſi partium utrinq; conſenſu ullatenùs veriſimile. Cujuſmodi aliquod in 1 *Cor.* 7. aliquot verſiculis innui videtur. At verò de novo poſt ſuſceptum Baptiſmum plures Uxores accerſere ſine dubio ab Apoſtolis vetitum.

(c) εὐτραπελία *Eph.* 5.4. rectè a vetere interprete, aliiſq; *ſcurrillitas* eſt reddita, quoniam eo loco ab Apoſtolo prohibetur. At verò in prophanis Autoribus eam vocem in utrámq; partem ſumptam legas. In bonam quidem apud *Thucid.* pro gratâ quadam ſermonis mo-
rúmq; lepôre & urbanitate. μετὰ χαρίτων (inquit) εὐτραπέλως, id eſt venuſtè, lepidè & Lib. 2.
eleganter. Sed in malam partem interpretêris apud Iſocratem, ubi juncta & paria habe-
mus, εὐτραπέλους καὶ σκώπτειν δυναμένους, οὓς νῦν εὐφυεῖς προσαγορεύουσιν, id eſt *ſcurriles aut dicaces,* Areopag.
& mordacibus dicteriis alios inceſſendi facultate valentes, quos nunc dierum ingenioſos indoliſq; generoſæ appellare ſolent. Noſtro Sœculo haud diſſimile.

NOTÆ

Notæ ad Tab. 5.

(*a*) Nimis Angusto limite Magistratum concludunt, qui intra rerum Civilium, hoc est externarum, Corporalium, Temporalium Cancellos eum subsistere volunt; nihilq; quod dogmata, quod mores, quod Religionem spectat; nihil quod supra ultráve hanc vitam se porrigat curare debere. At verò cùm unicus sit rerum actionúmq; omninò omnium finis ultimus, potiore longe ratione in constitutionibus muneribúsq; publicis exequendis, quàm in Officiis privatis præ oculis est habendus. Si Dei Gloria etiam dùm edimus bibimúsq; jubente Apostolo, sit respicienda; si porrò omnia nostra cum caritate (eâq; certè pro captu viribúsq; nostris intensione extensione duratione summâ & diffusissimâ) facienda, id potissimum in negotiis vitæ humanæ maximis & gravissimis. Quicquid habemus facultatis & potestatis, illud omne otiosum & quasi demortuum jacere non debet: Sed ad benefaciendum omni justâ ratione est conferendum. Neq; uspiam cohibendum, nisi ubi ex ejus usu plus mali quam boni (circumstantiis omnibus perpensis) oriturum videmus. Atq; quemadmodum is Magistratûs in gerendo suo munere finis ultimus scopúsq; esse debet; Ita etiam illius curâ & operâ permultum effici potest. Etenim intùs latentes animi opiniones, & affectus, & propensiones, sunt causæ & principia certissima illorum quæ a nobis extrinsecùs geruntur; quibúsq; præcipuè & Deo honorem deferimus, & aliis vel prodesse, vel nocere valemus. Hæ igitur ut veræ & rectæ & bonæ hominibus insinuentur, quémq; pro facultate suâ non modo optare, sed & adlaborare oportet. Id verò cùm multis modis ab iis qui supremum imperium obtinent effectum detur; vix tamen ullo fæliciùs, quàm si Viros doctos, prudentes, pios, probos, ab omni Principis populive adulatione alienos, qui cunctos sua Officia & Sermone, & Scripto, & Vitâ, summâ cum Integritate doceant, liberaliter habeant, eósq; publicis muneribus capessendis admoveant, & demùm autoritate & potentiâ adversus stolidorum hominum contemptum & insultum muniant. Non est igitur extra Magistratûs Officium, videre quâ Religione, quibus opinionibus, quibus moribus imbuti sint subditi. Scio nimiùm multa, eáq; minoris momenti quàm est libertatis & privati Judicii usus in Religione decerni posse, legúmq; nimium & molestum & incommodum esse: Sed illud perinde in rebus purè civilibus est cavendum. Finis qui est vivendi ultimus & extremus sæpè diximus. Sed cùm mortalium captus & prospectus rarò longiùs pertingere potest quàm ad propriæ suæ Reipublicæ statum; eò maximè cujùsq; imperantis curæ dirigendæ; aliarum tamen justâ habitâ ratione. Magistratûs autem Officium in hisce duobus expletur. Dispiciendo nimirum, inveniendóq; quod communitati sit optimum, atq; ad illorum omnium, & singulorum, quantum, fieri potest, statum & conditionem perfectissimam beatissimámq; æternùm futuram, perinde ac præsentem conducat; adeóq; & eam Religionem quæ verissima & præstantissima doceat, & bonos mores, & scientias, & disciplinas, & ipsum nosse pro viribus, & aliis discenda curare oportet. Quantò est hoc studium, hoc munus altius & dignius, quàm exiguis tantùm hujusce vitæ corporisq; commodis prospiciendo tempus operamq; totam impendere. Deinde non modò sunt hæc cognoscenda tantùm, sed multò magis efficienda sunt. Unde præmia pænásq; pro meritis cuiq; homini dispensandi, hominúmq; ordini vitæ conditionem & privilegia assignandi Potestas, Honor, Opes, Arma, aliáq; omnia exequendi adminicula & instrumenta ad idem Officium pertinere necessum est. Hujusce autem tùm Revelatione, tùm Lumine Naturali Divinæ Constitutionis, innumerabilia humano generi exoriuntur commoda.

(*b*) Permulta ex his aliisq; similibus (ferè omnia) non sunt Episcopis peculiaria, sed ad illos tantùm præ aliis exempli causâ spectantia.

(*c*) Imperatores Theodosius & Valentinianus in Epistolâ quadam ad Hormisdam PP. (*a*) Irenæum quendam Tyriorum Episcopum, propter Nestorii Hæresin, & binas Nuptias præter Apostolicos Canones Episcopatu suo dejici, imò & Sacerdotis nomine & schemate exui jubent. *Binas* autem Nuptias in genere dicunt. An verò *binæ* hic idem valet ac *secundæ*? si ita sit, Jure Civili *Nuptiæ secundæ* appellantur, quæ fiunt post primæ Conjugis obitum aut divortium, non dùm prima unà cum marito vivit (*b*). Hoc verò diceretur *binas Uxores alere aut habere*, quod etiam in universum vetitum omnibúsq; infame, imperantibus ipsis Ethnicis. (*c*) Ita pariter apud S. Basilium (*d*) per διγαμίαν & τριγαμίαν, iteratas post Conjugis obitum Nuptias intelligi videtur, ab exemplo Mulieris Samaritanæ allato. Easdémq; Nuptias secundas appellat S. Ambr. (*e*). Has autem in Episcopo non adeò veteribus placuisse ex S. Basilio modo citato, & Can. Apostolorum (uti appellantur) 17. Tert. Clem. Alexand. (*f*) aliisq; liquet. Imò nec adeò bonæ famæ eas fuisse etiam privatis Christianis nisi urgeret necessitas idem Clem. Testatur. unde verisimiliùs Episcopis aut Clericis minùs fuisse concessas. Clarum etiam videtur illud Tert. ubi Sacerdotem appellat *de monogamiâ ordinatum*. Idemq; etiam mos aliquibus Ecclesiis usq; hodiè servatus, uti Græcorum Russorum, Melchitarum, Abassinorum, nisi illorum Patriarcha licentiam concesserit, Maronitarum; quemadmodum noster Brerewoodus ex multis Autoribus nobis refert. At verò apud Christianos in Indiâ, qui S. Thomæ nomen habent, Clericis licet,

(*a*) Cod. lib. 1. Tit. de Trin.

(*b*) Cod. lib. 5. Tit. de secun. nup.

(*c*) Cod. lib. 5. Tit. de incestis.

(*d*) Ad Amph.

(*e*) De vid.

(*f*) Strom. l. 3. Conc. neocæ can. 7. Conc. Nic. 1. can. 8. exhort. ad castit. Vid. & Grot. Animad. ad Animad. Riv. de cælib. sacerd.

cet, defunctis Uxoribus alias ducere quotiescunq; libuerit. Fieri tamen potest ut quod quibusdam temporibus expediat, aliis, (quibusdam saltem circumstantiis) nimis durum & inutile videatur.

(*d*) De hisce loca aliquot Tabulæ Marginis ascripta haud dubiè intelligenda. Mansitq; per aliquot sæcula in Ecclesiâ hic muliebris ordo. Con. Laodi. Mulieres quæ apud Græcos Presbyteræ, apud se autem viduæ Seniores, univiræ Matricuriæ appellabantur, in Ecclesiâ tanquam ordinatas constitui non debere placuit. Can. 13. (*g*) At Concilium Chalced. Diaconissam non ante annos quadraginta ordinare debere statuit, nubentiq; post ordinationem Anathema dicit: (*g*) Can. 11. Paulatim verò abiit, & tandem evanuit. Neq; scio an uspiam hodie extet. Nascens Ecclesia, Conventiculisq; dispersa, mixtaq; inter Ethnicos & Judæos, cùm ætatis maturioris multæ ad sacrum fontem venirent; iisq; gentibus & locis, ubi minùs usitata & probata Virorum Fœminarúmq; secum invicem frequentior Consuetudo, eam isti Constitutioni causam dare potuerunt, quâ nos hodie saltem Boreales caremus.

(*e*) Grotio (*h*) placet nullam Jurisdictionem Ecclesiæ pastoribus, iisve penes quos est eam societatem regendi jus propriè competere. (*h*) Lib. de pot. sum. imper. circa sacra. De verbis non multùm refert. At reipsâ Leges Christi Doctrinam Disciplinámq; spectantes interpretari, est maxime propriè jus dicere, unde Jurisdictionem specialiter appellatam Jurisconsultis multis placet. Præterea sensu etiam altero potestas suspendendi & arcendi a Cœnâ sacrâ, neq; notoriè saltem peccantibus eam dare, neq; per Baptismum nisi quos idoneos judicaverint in Ecclesiam admittere, nec sacra ulla Christianis peragere: est certè potestas infligendi pœnam aliquam; & quidem istiusmodi, cujus effectum etiam summa potestas temporalis impedire nequit; si Ecclesiæ Pastores Rectorésve nec minis nec suppliciis territi in sententiâ perstiterint. Quòd si Deus hanc illis per Christum Potestatem concesserit, certè cætui Christiano eidem Potestati, & Submissionem & Obedientiam etiam jussit. Nempe ubi sententia justa fuerit; imo etiam generaliter loquendo, ubi ipse peccator aliiq; erratum putaverint. Nam Ecclesiæ pacis, autoritatis, & existimationis, quàm unius paucorúmve injuriæ, major est habenda ratio, quemadmodum in Republicâ civili. Atq; hanc rei per Christum Constitutionem sua Lege & Authoritate tueri & firmare debet Magistratus.

Notæ ad Tab. 6.

(*a*) Operæ pretium omninò is esset facturus qui hoc particulatim ostenderet.

(*b*) Perfectionem voco, quicquid quoquo modo boni aliquid perficere, efficere, producere potest, eóve tendit. Bonum autem intelligo bonum jucundum. Cujus gradum summum quam quispiam capere queat, statúmq; stabilem & continuum Philosophi qui Ethicam tractant *beatitudinem* appellare solent. Notandum autem bonum omne est vel finis vel medii, quorum illud *jucundum* hoc *utile* dicitur. *Perfectio* mihi idem sonat ac bonum utile (vel si mavis ipsa utilitas); id quod quovis modo ad efficiendum aliquem beatum, sive istum ipsum cui ista perfectio insidet, sive alium potestatem conferendi habet. Adeo ut hæc duo *beatitudo & perfectio* omne illud quod bonum dicitur, seu quod appeti potest comprehendant. *Pura* autem ac *mera* perfectio tantundem valet, ac omni ratione infinita. Nam ubi non est perfectio infinita, ibi etiam erit aliqua imperfectio seu defectus; proindéq; non *pura* perfectio sed cum quadam imperfectione mixta.

(*c*) Positis Dei independentiâ, aliarúmq; omnium rerum efficientiâ, & æternitate, quæ in sacra Scriptura Deo tribuuntur, ejusdem existentia necessaria necessariò sequitur. Nam id quod nullam unquam habuit aliam existendi causam, vi & perfectione suiipsius naturæ existere necessum est. Quod autem vi sua semper extitit, nunqam seipsum destruere, aut ad nihilum redigere potest. Nulla vis aut actio seipsam unquam poterit abolere, siquidem actionem quæ est causa, ejusq; causæ per seipsam abolitionem, quæ est effectus, eodem tempore existere intelligi nequit.

Porrò hoc ipsum lumine, naturali probari potest; argumentúmq; illud ab Idea Dei, quæ in se infinitam purámve perfectionem continet, & verum & validum esse puto. Liceat mihi hic obiter post multos alios subtilissimos viros ascribere aliquid, cùm plura & didactiora possem. (1.) Eâdem plane ratione quâ ex solâ Idea Trianguli, necessariam connexionem Judico inter ejus reliquam naturam, illámq; ejus proprietatem, *quodlibet ejus latus esse reliquis duobus minus* si actu existeret: etiam necessariam connexionem inter eandem naturam & actualem existentiam Judicarem, si eam perinde in Idea Trianguli perciperem. Eodémq; prosus modo, quoniam in Ideâ *infinitæ perfectionis* inter eam & existentiam actualem, connexionem necessariam percipimus, talem esse revera connexionem, seu eam naturam existere judicare debemus,(2.) rectè diceremus *ens infinitè imperfectum* non posse existere, si in ipsâ Ideâ Naturæ infinitæ imperfectæ, perciperemus repugnantiam inter infinitam imperfectionem & actualem existentiam, quòd ipsa existentia sit perfectio quædam aliámve ob causam. Sin autem ex solâ Ideâ naturæ infinitæ imperfectæ, si in ea perciperemus necessariam repugnantiam inter ejus naturam & actualem existentiam, rectè concluderemus eam non existere; cur non ex solâ Ideâ infinitæ perfectionis, in quâ certè manifestò percipimus

mus necessariam connexionem inter ejus naturam & actualem existentiam (nam si non vi suæ naturæ necessariò existeret, non esset infinitè perfecta) pariter concludere debemus eam actu existere? (3.) In Ideâ Naturæ infinitè perfectæ percipimus repugnantiam inter eam naturam & *non-existentiam.* Nam si *potest non-existere,* non est adeo perfecta ac ea quæ *non potest non existere,* adeóq; non infinitè perfecta. Atqui quemadmodum propter repugnantiam in Ideâ naturæ infinitè imperfectæ inter ejus naturam & actualem existentiam (supposito tantùm impræsentiarum nos ita rem clarè percipere) bene judicaremus eam non posse existere: ita propter repugnantiam in Ideâ naturæ infinitè perfectæ inter eam & non-existentiam, hanc naturam *non posse non existere* judicandum. Huic argumento non admodum dissimile habet (*a*) Aquinas, cùm *Deum esse seu existere* per se notum non esse conclusurus, objicit sibi pro more suo; *Intellecto quid significet nomen Dei statim habitur quod Deus est. Significatur enim hoc nomine id quod majus significare non potest: majus autem est quod est in re quàm quod est in intellectu tantùm.* Nec in responsione objectioni satisfacit. Nam isthoc ipsum quod dixit satis nobis notum esse potest. Porrò in responsione primâ ejusdem Articuli fatetur in hac propositione *Deus est,* prædicatum idem esse cum subjecto, atq; in eo includi quemadmodum in propositione *Homo est Animal:* quanquam postea ait ad tuendam suam conclusionem, quoniam nescimus quid Deus sit, eam propositionem *Deum esse* nobis per se non esse notam, etiamsi ad eam attendamus (id enim interseri debet). Quasi non esset per se notum satis *Hominem esse Animal,* quoniam quid Homo esset adæquatè cognosci requiret. Cicero (*b*) etiam alibi ait Epicurum olim conclusisse Deum esse ab insitâ animi informatione.

(*a*) Sum par. 1. quæ 2. Art. 1.

(*b*) De Nat. Deor. lib. 1.

(*d*) Accuratè hoc tribus Symbolis receptis respondet, quódq; adeò aut conceptui non repugnat, aut à ratione non abhorret; ut & illud ab eâ intelligi posse, & cùm naturæ divinæ tùm totius universitatis systemati optimo summè congruum esse putem. Quod porrò locutiones sacræ Scripturæ naturaliter & genuinè significant, (*c*) quod deniq; Christiani Antenicæni & à Scriptura & à traditione acceptum tenuêre.

(*c*) Ignat. Just. Mart. Clem. Alex.

(*e*) Ardua sane & gravissima est illa disquisitio, unde sciemus quo signo utemur ad dignoscendam propositionem unam pluresve, vel à Deo immediatè, vel ab Angelo Deo jubente aut probante, menti sive nostræ, sive alterius hominis inditas? Impræsentiarum nobis erit satis, Characteres aliquot inspirationis (uti dicitur) breviter indicasse, quos pridem alicubi uberiori explicatione disseruimus. Sunt autem illi (quidam inspirationis cùm à Deo immediatè, tum Angeli Ministerio; unus vel alter inspirationis tantùm immediatæ) vel ex ipsis animi actionibus & affectionibus, vel a rebus revelatis, vel à Personis inspiratis desumpti. 1. In Animi Affectionibus istiusmodi esse posse videtur. (1.) Si nullam in nobis ipsis experimur actionem, vitæve rationem præteritam aut præsentem, quâ ita corpus nostrum eave pars (spiritus puta) unde Animi Cogitationes & Inclinationes pendent, ita disponantur, ut tales Ideæ & Notiones in nobis certo quodam tempore excitentur; aut ut Inclinatiores simus ad certo quodam modo judicandum. (2.) Si vitæ rationis, si actionis plane contrarii nobis conficii sumus; Istiusmodi (Exemp. cau.) quâ certas Ideas delere, atq; ab iis perceptionem avertere, & judicium in contrariam partem flectere, sed labore irrito conamur. (3.) Si rerum in mente existentium objectio & perceptio sit multò magis vehemens, distincta, copiosa, varia, celeris simultanea, diuturna, frequens, sive brevi tempore recurrens, aliisq; fortè modis præstantior & perfectior, quàm unquam antea nisi inspirati sumus experti. Si porrò hæ perceptionis nostræ qualitates subitaneæ ac repentinæ fuerint, non gradibus quibusdam accedentes. (4.) Si Corporis Animiq; temperamentum sit istis perfectionibus adversum & contrarium, maximúmq; Impedimentum. Nempe cum tale sit ut omnem aliarum rerum perceptionem præter ipsius mentis motus confusos & concussiones, impedire aut tollere penitus, vel eam obscuram tantùm & debilem, &c. permittere soleat. Quale olim signum specialis divinæ præsentiæ Abrahamo dari potuit, Gen. 15. (5.) Si judicium nostrum, vel ad illud ferendum inclinatio fuerit involuntaria, & tamen multò fortior & obstinatior, quàm unquam antea vel postea contigit. Si porrò repentina & inclinationibus solitis maximè dissimilis aut contraria. 2. Ex rebus inspiratis alios Characteres notare licet. Cujusmodi sunt (1.) rerum veritas. Nempe si vel alia Revelatione, vel Lumine naturali constiterit eas esse veras, vel necessariò, vel magis minúsve probabiliter, eò minùs repugnat esse nunc inspiratas. (2.) Earundem præstantia & utilitas. (3.) Aliâ ratione eas cognoscendi difficultas aut etiam impossibilitas. 3. Deniq; nonnulla sunt signa quæ in personis inspiratis reperire possumus. Horum scilicet Sanctitas, Probitas, Humilitas, Modestia, Prudentia, atq; demùm miraculorum patratio. De quorum natura & generibus omnino & hic annotandum esset, si tantæ rei satis loci vacaret. In ista tamen inspiratione quâ Deus ipse actione suâ proximè mentem attingat, (si unquam hoc factum) duo indicia videntur propria. Primum est, si Ideæ rerum, sive incorporearum, sive corporearum, (fieri hoc potest) sint purè intellectuales, ut sine signis corporis, vel (uti loquuntur) ullo Phantasmate in mente excitentur. Minùs enim probabile Angelum aliquem posse mentem nostram immediatè immutare, quàm idipsum facere intercedente corpore. Quin & naturæ nostræ vires excedere videtur; vel si aliter se res haberet, experiri tamen possumus nos eas non exercere. Secundum autem illud est: mentem sibi consciam esse posse, se suâ in actione pati; & quidem

dem

dem res objectas habere, percipere, judicare penè vel prorsus invitam; vel etiam ipsam ejus volitionem peculiari quadam forinsecâ actione experrectam & excitatam, certè ipsius voluntatis inclinationem. Nimiùm fortè hoc in loco de inspiratione multis hæc tamen omnino sunt adjicienda. (1.) In istis Characteribus singulis dari gradus. (2.) Horum alios esse aliis certiores; atq; fieri posse ut sibi invicem contraria indicent. Exempli causâ. Si alicujus prædictioni effectûs insoliti seu prodigii, eventus semel iterúmq; responderit, signum est probabile inspirationis, si inspiratus id affirmaverit: sin vero alia inspiratione, aut lumine naturali colligatur rem inspiratam esse falsam aut frivolam, signum erit non-inspirationis: & quidem posterius sæpè certius putandum, uti Deuter. 13. videre est. (3.) Quò plura horum signorum concurrunt, eò majorem inspirationis certitudinem haberi. (4.) Si inspirationem talis corporis mentisq; dispositio præcesserit vel secuta fuerit, qualem in somno experimur, eam per *insomnium* fieri solere dici: Sin talis qualis est dum vigilamus, per *visionem*. (5.) Multa alia sine dubio esse posse inspirato signa æquè certa, ac necessaria, nobis ignota, quæq; quodam modo aliis edoceri & explicari possunt. Id quod olim forte ex instituto factum in Scholis Prophetarum, ubi Arcana hæc scientia ab adeptis & expertis successoribus idoneis interdum tradebatur. (6.) Postremò id monendum, alterius hominis inspirationis Characteres modo recensitos ex inspirati testimonio, proindéq; ejus sapientiâ & veracitate, ex sagaci ratione, ipsisq; sensibus nobis inotescere. In re tam obscurâ & vix à quopiam tentata veniam dabit lector, si obscurior ipse videar. Cui tamen multum lucis affundere possem, si quarundam rerum explicatione præmissâ, definitiones, rationes, exempla addendo, longiori eam oratione prosequerer. Id quod nec propositum nec pagina patietur.

Notæ ad Tab. 7.

(*a*) NEgat (*a*) Majem temporibus Messiæ aut Resurrectionem mortuorum, aut quævis alia miracula futura; quoniam satis erat eum toties à Deo per prophetas fuisse promissum. Concedit tamen ex Judæorum vulgari sententia posse fieri, ut Messias mortuos resuscitet. At verò Abrab. ad Illud Es. 52. 8. [קול צופיך vox speculatorum tuorum, &c.] ait suos sapientes (Talmudicos aliósq; veteres) locum istum de Prophetis omnibus intellexisse, qui de Messiæ adventu & ultimâ Judæorum Redemptione fuerant vaticinati. Fore nempe ut sub Messiæ adventum ex sepulchris consurgerent omnes, Prophetiásq; suas unà cum Dei laudibus concinerent. אגר̄ תחיית המ־ת

(*b*) Mirandum hoc factum & prorsus singulare, cui nunquam simile quicquam rebus humanis contigisse puto, probationibustamen firmissimis si unquam aliud fultum accipimus. In re tantâ totiúsq; Rel.Christ. fundamento quæ dici hic & solent & possunt præsertim Testimonia paucis compingere, densiúsq; ordine ascribere libet. Ea sunt potissimùm quæ in novi Testamenti Scriptoribus extant. In quibus duo observanda (1.) quid dicunt & qualiter. (2.) unde possit constare, quibúsve argumentis illos nihil falsi dixisse. Hi autem sacri Scriptores suis scriptis hæc sequentia affirmant. (1.) Nunciatum fuisse ab Angelis Mariæ Magdalenæ aliisq; Mulieribus, Jesum rediisse in vitam, atq; ex Sepulturæ loco abiisse. Quæ etiam vacuum sepulchrum ipsúmq; tandem Jesum & oculis videbant, & respondebant alloquenti. (2.) Jesum Apostolorum modò his modò illis, sexies aut septies apparuisse, unàq; sumpsisse cibum, & sermones sæpè miscuisse. Id hic sigillatim ostendere non est locus. (3.) Etiam quingentis eodem tempore, Galileæ monte quodam ab ipso Jesu uti verisimilius prænominato (4.) & sepulchri custodibus. (5) Hujus rei testes, Apostolos putà aliósq; ob hoc ipsum Testimonium durissima passos. (6.) Horum testium multos (uti Apostoli Stephanas aliiq;) ad Testimonii veritatem firmandam virtute edendi miracula præditos. In hisce porrò adfirmationibus si veræ sint (quod mox patebit) hæc notanda. (1.) Testium numerus (2.) Testium varietas, quibus diversa ingenia, mores, præjudicia. (3.) Horum ferè omnes initio erant ad fidem tantæ & tam lætæ rei tardi, dubii, timidi: Imò planè ad omnem fidem detrahandam proni. Id videre licet in Mulieribus quibusdam ut condirent Aromatibus cadaver ad sepulchrum euntibus, in Apostolis, Thomâ præsertim, quibus ipse Jesus incredulitatem exprobrabat. (4.) Testes erant oculati & auriti. Oculis & auribus diffisus, vulnerum in corpore contrectationem Thomas addere voluit. (5.) Hic habemus Testimonium adversariorum, nempe vigilum. (6.) Horum Testium multi in hujusce rei Confirmationem multorum miraculorum erant autores. (7.) Testes ferè omnes qui hanc rem in publicum efferre & palàm prædicare sunt ausi, ob eam causam omnibus vitæ commodis exuti, vitâq; etiam ipsa sæpè spoliati. Magna sanè sunt hæc (dicet aliquis) quæq; perversissimorum contumaciam expugnare valent, modò sint vera. Hæc quidem narrant N. T. Scriptores: Sed nihil falsi narrasse unde constabit? Id verò uti vulgò dicitur, duabus rationibus evincitur. (1.) Eos optimè nosse potuisse ea quæ dixerunt (2.) bonâ fide dixisse quæ nôrunt. Et quidem nosse potuisse quæ narrarunt nemo dubitare potest, qui tot hominum sensibus omnibus fidem non abrogat. Dixisse autem bonâ fide quæ vera putabant, multis certissimis argumentis probatur. Uti

(1.) multi

(1.) multi ſunt qui eadem narrant, contraria nunquam (2.) permagnus etiam erat Chriſtianorum numerus, qui hæc non tantùm à N. T. Scriptoribus didicerant, ſed ab aliis etiam perinde idoneis teſtibus traditione acceperant. Ab aliis nempe Apoſtolis, à Mulieribus, cuſtodibus, quingentis iſtis qui vivum Jeſum ſimul conſpexerant. Hi etiam omnes ſi ſcripſiſſent, idem cum iſtis autoribus utiq; fuiſſent dicturi, qui ubiq; vitæ ſemper periculo, ſæpè jacturâ illud & credebant & affirmabant. (3.) Pauciſſimi certè ſunt qui unquam contrarium affirmare nedùm ſacrorum Scriptorum fidem hac in re minuere aliquo ſucceſſu ſunt aggreſſi. Quòd verò nonnulli Judæorum, uti nuperus Author *portæ veritatis* nondum editus * & paganorum alii, cujuſmodi Celſus, (a) Porphyrius, Hierocles, vel negârint vel falſi ſuſpicionem injecerint; id veritati firmationem adfert. Nam quanquam res erat cognitu facilis, mirabilis, ſummiq; momenti, quæ veterum Religionum omnium abolitionem ſecum trahebat, hominúmq; Chriſtianæ Religioni infeſtiſſimorum plena eſſent omnia: ejus tamen fides ita ubiq; vicit & triumphavit, ut infinitus propè hominum numerus eam capitis periculo amplecterentur. Idémq; etiam de Gnoſticorum Hæreſi dicendum, qui Jeſum tantùm ἐν δοκήσει paſſum docuiſſe feruntur. In vetuſtis Judæorum libris & Talmudicis non memini hanc rem apertè negátam. (4.) Veracitatem hic arguit illorum etiam in aliis omnibus perinde inſolitis & mirandis veracitas. Cujuſmodi eſt iſte paſſionis tempore Lunâ plena ſolis defectus. Cujus rei memoriam Archivis Romanorum ſervatam aſſerit Tertullianus (b). neq; enim hactenùs vel ſemel erroris aut falſitatis eos convictos quiſpiam vidit. (5.) Eandem veracitatem invictè probat miraculorum patratio. Falſariis enim aut falſis non tantùm Deus aſtrueret fidem; nec optimos quóſq; & veri amantes in errorem quaſi perpelleret, ſi quæ ſit rerum humanarum in Cœlis cura. Feciſſe autem miracula & multa & magna non modò ex eorum libris, ſed & ex Chriſtianorum omnium traditione & ſcriptâ & non ſcripta abundè conſtat (6.) eam etiam extra omne dubium ponit horum ſcriptorum tanta malorum moles, ignominia, odia, verbera, exilia, carceres, cruciatus, mortes quibus objiciebantur Jeſu causâ. Neq; quiſquam ſani cerebri mentiſve compos tam acerba fuiſſet perpeſſus, propter fraudem & impoſturam probè ſibi cognitam. Talem autem fuiſſe illorum ſortem & conditionem ex omni hiſtoria liquet. Hiſce ex N. T. ſcriptoribus probationibus addi poſſunt locus unus vel alter ex V. T. à viris θεοπνεύστοις interpretata, quæ vel directè vel conſequenter iſtam Meſſiæ Reſurrectionem docent. Uti Pſal. 16. & Act. 2. Porrò Dan. 9. Jeſ. 53. Pſal. 68. quæ Meſſiæ Mortem & Aſcenſionem, proindéq; ejus Reſurrectionem prædicunt. Neq; (c) Joſepho etiam ab Euſebio citato fides prorſus decedere debet. Suſpectum eſſe locum notum eſſe: Eum tamen ob rationes quaſdam hic omittendas certò confictum dicere nequeo. Neq; pariter nullius momenti haberi debet Epiſtola Pilati Tiberio miſſa, cujus meminit Tertul. in Apologia. Quanquam Lightfootus noſter, aliiq; fortè eam vel minùs probent, vel rejiciant. Hujus verò Epiſtolæ Exemplar quod operibus pſeudo Dionyſii Areop. hodiè extat, itémq; illud quod ex Bibliotheca Vaticana nobis dedit Sixtus Senenſis, mera eſſe figmenta omnes ſciunt. Poſtremò ipſa ratio ſuffragium hîc ſuum adjiciat. Nam ſi concedatur Deum *Jeſum* miſiſſe ad Religiones veteres tollendas, & novam per totum terrarum orbem illarum loco ſubſtituendam; Hujus autoritatis argumentum nullum idoneum magis, neq; minùs ferè quicquam, quàm ejus reſuſcitatio à mortuis excogitari potuit: cùm eum ab inimicis morte iniquâ opprimi omninò divino conſilio expedire videretur. Hiſce autem omnibus quid regeri poteſt non video, niſi quis dicat eum nunquam fuiſſe revera mortuum: id quod meritò objici poteſt exemplis à Plutarcho aliiſq; memoratis, ſi unquam talia extiterint. Quam tamen inſanam objectionem vel puer ipſe refellet.

* Rev. Viri D. Cudworth Bibliotheca Servatus.

(a) Vid. Luc. Holſt. de vita & ſcriptis Porph. cap. 10.

(b) Apolog.

(c) Lib. 18.

Phil. 2. 4. Eph. 1. 20. Heb. 1. 3, 4, 6, 17. Pſal. 16. 11.

(c) Sedere ad Dextram Dei, qui etiam δύναμις & μεγαλοσύνη, Hebræis גבורה dicitur, denotat ſtatum perennem & permanentem honoris, imperii, poteſtatis, ſummæq; felicitatis.

(d) Plura adhuc & hiſce paria ex Jeſu hiſtoriâ peti debent quæ noſtra pagina capere nequit.

(e) Auguſtum dogma, eóq; auguſtior Religio Chriſtiana cujus autor & fundator prophetas Heroâſq; omnes infinitis vicibus ſuperavit; quíq; tantus erat, ut ſupra omnia quæ vel Deus ipſe Judæis fecit, vel Ethnicorum fabuloſa Antiquitas factum ſuis finxit, vel humanum ingenium ferè fingere potuit emineat. Neq; tamen eſt hoc inexplicabile prorſus: Etiamſi quicquid in eo ſit tenere & comprehendere mortalium quempiam (uti in aliis myſteriis) nemo ſanus dixerit. Etenim unio iſthæc in hoc potiſſimum videtur reperiri, quòd quicquid eſſet in humanâ Chriſti naturâ, cogitationes omnes, ideæ, affectus, appetitus, inclinationes, judicia, adeóq; etiam corporis internæ externæq; motiones à naturâ Divinâ perpetuò regebatur. Ita primi Chriſtiani mentem ſcriptorum θεοπνεύστων capiebant; ita varias de Chriſto in Scripturâ loquendi formas ſonare, & ipſi pro ingenii ſui ſimplicitate putabant, & traditione acceperant. Ignatius *a* Chriſtum appellat λόγον ἀΐδιον τοῦ θεοῦ, verbum Dei æternum (d) *Juſt.* Martyr plenius; ὃς [Ἰησοῦς χριστὸς] θεοῦ ὑπάρχων λόγος ἀχώριστος δυνάμει, τὴν κατ᾽ εἰκόνα καὶ ὁμοίωσιν θεοῦ πλασθέντα ἀναλαβὼν ἄνθρωπον. Et in Apologiis ſæpe.

(d) Epiſ. ad Magn. par. ad Græc.

(f) Hoc de juſtificatione & Satisfactione Theologorum dogmata complectitur. Ego verò miratus fuiſſem tot lites & controverſias de hiſce excitatas, ſi non incidiſſent in Sæculo diſputationum & rixarum plena, quæ tamen ſub earum initio nec rerum naturam aut rationes expendiſſe, nec ſacrum dicendi morum ſatis intellexiſſe videntur. Etenim iſtis nihil

intellectu facilius, nihil in usu vitæ frequentius, nihil humanæ rationi convenientius, si ritè explicentur. Verba quod attinet, *Deum justificare hominem* quondam peccatorem, nihil aliud est, quàm illi remittere peccatum, omittere pœnam commeritam, in gratiam recipere, eúmq; eo modo habere quo justis fieri solet. *Satisfacere* autem communi usu illud pro re aliâ dicitur, quod ejusdem sit pretii & valoris; ejusdem autem est illud pretii, quod tantundem boni aut ipsum sit, aut efficiat. Bonum autem omne ad jucunditatem, eúmve statum animi constantem quem beatitudinem appellamus ultimò referendum Judico. Res si spectemus, in Justificatione quam Rel. Chr. docet, duo sunt notanda. (1.) Deum neminem nisi pœnitentem, mutatis in melius moribus, cognitisq; quocunq; modo Officiis, Deiq; legibus obtemperantem justificare. (2.) Id ab humani generis lapsu primo, omnibus pœnitentibus Jesu causâ factum. Hoc est si utrumq; componas, Deum peccatorum veniam dare pœnitentibus Christi causâ. Is cùm esset Deitati Conjunctissimus; & propter perfectissimam quam vivens moriénsq; Deo præstitit Obedientiam, Virtutémq; adeo expletissimam eidem carissimus; & piaculis olim seipsum significatum daret oblationem, omnium mortalium pœnitentium nomine, qui suum esse volunt grati, imò omnium qui accepturi essent si eam habuissent cognitam: Is inquam cùm talis esset, & talia fecisset, tantum illi honorem meritò haberi voluit Deus. Nolim autem ut quis se jure id culpare existimet, quòd Christi merita & oblationem, etiam pro hisce valere putem, qui probè vivunt animúmq; habent Deo parendi quocunq; modo leges suas promulgat, proindéq; in Christum crederent, sive Christianæ Disciplinæ ex animo parêrent, si eam sibi haberent cognitam. Nam oblationes & preces Jobi pro Filiis suis etiam insciis apud Deum valere ipse existimabat: Et in re impossibili voluntatis dispositio efficax pro facto à Deo habetur. Adeo ut virtualiter (si ita loqui liceat) Christiani dicantur, qui cùm animo probo dociliq; sint, veritatem omnem, Pietati præsertim virtutiq; faventem, proindéq; fidem Christianam amplecterentur ubi eam satis cognitam haberent, vitámq; secundum eam instituerent, & deniq; præcepta & officia præcipua & gravissima eadémq; cum Christianis explent & exequuntur. De *Satisfactione* non ita accuratè nonnullos locutos, nec plenè rem extulisse arbitror. Mihi enim non tam mors Christi & peccatoris pœna comparanda sunt, ita ut unum alterius loco vel pro altero satisfacere diceretur: (quanquam eo modo breviter per Metonymiam scriptura loqui possit) sed potiùs Dei Actiones duæ & diversæ. Nempe Christi meritorum Oblationisq; gratiâ, pœnam imprimis æternam resipiscentibus penitùs remittere; & eandem pœnam, etiam æternam, iisdem resipiscentibus infligere. Dico illam priorem hujus posterioris ultimum meliùs & pleniùs sortiri effectum, unámq; adeo alteram submovere, seu illius loco esse posse, seu deniq; pro eâ *satisfacere*. Effectus autem & finis iste ad quem omnia Dei bonorúmq; pro suo captu omnia Consilia & Actiones diriguntur, est universitatis rerum perfectio & fœlicitas. Quod adeò manifestum est, ut nihil opus esse putem quo modo id fiat ostendere. Dicere impræsentiarum satis sit, & hominum emendationi & saluti hâc ratione optimè consultum & provisum. Quis enim sine spe veniæ pravos mores mutasset? Quis non mirificè ad virtutem impelleretur, cùm propter eam tantum à Deo habitum Christo honorem, repositúmq; præmium intento animo perpenderet?

Job cap. 1.

(*g*) Neq; commodiori sensu illud Scripturæ intelligi potest, *Christum esse propitiationem pro peccatis totius Mundi.* Eum nempè hominum peccatis graviter offensum & iratum Deum, adeò propitium humano generi reddidisse, ut pœnitentibus daret veniam, & non pœnitentibus opis aliquid largiretur, quo fieri possint si velint aliquantulùm saltem melioris: Similémq; etiam fuisse priscorum Judæorum de Messia suo sententiam, in præfatione ad Lightfootum ostendi.

Notæ ad Tab. 8.

(*a*) CUM *Deus & Dominus* in prim. ad Corin. cap. 12. sint S. Paulo duæ à se invicem distinctæ Personæ, cúmq; adeò nihil in divinâ naturâ rectè concepta repugnet, ut in eâ potiùs omnia consentiant: Sp. Sanctum personam pariter à reliquis duabus distinctam intellexisse S. Paulum longè est verisimilius. Idémq; etiam ex Baptismi formulâ judicandum, quicquid alii senserint, qui se sapere solùm sibi videntur. Ejúsq; etiam Mysterii (ita illud voco quod puro lumini naturali sine Revelatione clausum abditúmq; sit, Hebraicè מוסתר) ex quibusdam in V. T. & Judæorum scriptis locutionibus illud [רוח הקרושה] umbram seu imperfectam quandam notionem fuisse non immeritò quis suspicetur. Quin & Sp. Sanctum primævis Christianis personam fuisse luculentissima probatio habetur apud (*a*) Just. Mart. ubi sui suorúmq; nomine scribit se tantùm ab Atheismo abesse, cujus Criminis eos Gentiles postulabant: ut Deum Patrem, Filiúmq; à Deo venientem, & Spiritum Propheticum colerent & adorarent. Verba sunt notissima. Ἀλλ' ἐκεῖνόν τε [Θεὸν] καὶ τὸν παρ' αὐτοῦ ἐλθόντα υἱὸν, &c. πνεῦμά τε τὸ προφητικὸν σεβόμεθα καὶ προσκυνοῦμεν.

Apol. 2.

(*b*) Nemini dubium eſſe poteſt Deum pro ſuo arbitrio hominum animos afficere, diſponere, aut quovis modo immutare poſſe. Quòd verò uſq; adeò curare res noſtras dignari velit, ſummo honore & ſolatio ducendum; dignúmq; tanto Authore Dogma. Cui tamen ſimile quid etiam apud Ethnicos *Plat. Xenop. Iſoc. Cicer.* ipsóſq; Poetas frequenter obſervare licet. Quid enim homini magis Honorificum aut jucundum accidere poteſt, quàm Dei conſilio duci, ſolatio refici, vi & virtute agi? Majus quid dici poteſt, quàm Deum nobiſcum inviſibile habere commercium, bonorúmq; pectora ſibi finxiſſe Domicilium, & gratiſſimam fixiſſe ſedem? Neq; abs re hic erit monere, dona quæ vocantur *extraordinaria* novæ Rel. primordiis valdè neceſſaria, etiamſi communibus grandius quid ſonent: revera tamen eſſe uſûs & pretii longe minoris. Ipſe Paulus unam *Charitatis* gratiam, quam fidelium Cordibus S. Spiritus operatur adeò dotibus omnibus aliis prætulerit, ut eas hâc deſtitutas planè pro nihilo habeat.

(*c*) Religione Chriſti jam primum movente pedem, & in publicum proditurâ, magnifica hæc & eximia Sp. Sancti dona, non modò Apoſtolis aliiſve in Eccleſia munere aliquo fungentibus: Sed & cujuſvis loci Chriſtianis conceſſa idem Spiritus partiebatur. Illud expediebat ad celeriùs propagandam, & ſolidiùs ſtabiliendam novam fidem; præcipuè adverſus Judæorum veterem & divinam, adeóq; ab ipſis creditam nunquam deſituram, ne-
Acts 21. dùm ab ipſo Deo abolendam legem. Ita de Agabo, & Philippi Filiis, & 12 Diſcipulis legimus. Id etiam liquet ex Cor. 1. 14,23,24, &c. Iſthoc etiam argumento utitur S. Pau-
& 19. 6. lus adverſus Galatas à Chriſto ad Moſem jam deſciſcentes. Licet autem multa Sp. Sancti
Gal. 3. 2. dona, quæ vocantur *extraordinaria*, omnibus indulta erant Chriſtianis: Apoſtolis tamen, quorum operâ præcipuè & fundanda & ædificanda erat Eccleſia, peculiaria fortè quædam data; quædam autem aliis communia, illis tamen frequentiùs & uberiùs erant diſtributa. Horum certè in Jeſum Fidem mirificè roborabat ſtupendus iſte ſuper eos Sp. Sancti delapſus, & oculis intimiſq; animi ſenſibus adeo manifeſtus, inter prima Rel. Chriſtianæ Miracula numerandus; ab ipſo Jeſu promiſſus, prædictus, completus.

(*d*) Quænam erant illa dona, quæ quibuſdam harum vocum ſignificantur, dictu eſt difficile. Illis temporibus quibus ea multi in Eccleſia acceperant, & uſu & effectu monſtrarant, nota erant ſatis; nobis tantùm conjecturâ ſcire licet. Fides autem agmen ducens eum mihi videtur habere quem in Tabulâ dedi ſenſum. Huic oppoſitum id ſuadet. Nam quemadmodum Spiriti Sanctûs afflatu nemo Jeſum Nazaræum (quod Judæis præſertim uſitatum erat) execrari potuit: Ita quidem ſine ejuſdem Spir. afflatu quodam, ſeu ope, mentem onere tanto præjudiciorum levante, eum verum Meſſiam credere, multò minus ſe credere palàm profiteri, nec vellet nec auderet quiſquam. Neq; ſanè iſtis temporibus id mirum videri, debet; cùm Religio quam docendam & conſtituendam Apoſtolis mandaverat Jeſus, nova prorſus eſſet, Judæorúmq; maximam partem Rel. antiquiſſimas & cœlitùs acceptas loco ſubmotura; cùm porrò Authorem valdè obſcuræ naſcendi vivendiq; conditionis, à ſuæ etiam gentis Rege, principibus, plebéq; ferè universâ contemptu & contumeliis exceptum, & tandem infami morte necatum haberet; cúm deniq; ejuſdem ſequaces infinitæ propè malorum multitudini & moli capita objicerent. Paganis interea ſuperſtitionibus à majoribus etiam ſuis multis ab inde anteà ſeculis receptis, potentium ſapientiúmq; hujus mundi cultu & ſumptu florentibus.

(*e*) Varium his varii dant ſenſum. Nonnulli σοφίαν illorum eſſe aiunt, qui Parabolas, Proverbia, Apothegmata, Sententias graves & acutas edere ſolent: γνῶσιν verò horum qui Hiſtoriam probè tenent. Illi Judicio pollent, hi memoriâ. Alii verò σοφίαν rerum difficilium: γνῶσιν verò facilium ſcientiam eſſe volunt. Cæterùm quemadmodum voces Hebrææ [בינה חכמה: תבונה] aliæq; conſimiles promiſcuè & confusè ſonare videntur; Ita fortè & iſtæ quæ illis græcè reſpondent. Id & ſacræ dialecto & omnibus linguis familiare. Nos ut plurimùm Theologi & Scholaſtici diſtinctas ſignificationes de noſtro affingimus.

(*f*) Fides hìc non Hiſtorica, uti appellari ſolet, quam antea dixerat: Sed Miraculorum intelligenda. Ea autem eſt quâ inſpiratus aut afflatus aliquis firmiter credat, Deum per ipſum ſeu illius operâ certum quoddam miraculum edere velle. Cujuſmodi erat illud Petri, cum nomine Jeſu Chriſti Nazaræi Claudum ambulare juſſerit. Fidem quâ monte dimoventur; Phraſi [עוקר הרים *i.e.* montium convulſor] apud Judæos uſitatæ conſi-
1 Cor. 13. mili, appellat Apoſtolus; hoc eſt quâ quis aliquid humano majus efficiat. Quanquam hoc donum jam à multis annis in Eccleſiâ ceſſaſſe videmus (neq; enim Romanenſium fabulis credendum): Non tamen in univerſum dixerim, ſi qui Chriſtiani ſinceritate Zelóq; Apoſtolicis ad puram Chriſti fidem Infidelium converſionem, vel etiam miſerè collapſæ Religionis inſtaurationem aggrederentur, non poſſe fieri ut Deus huic ſequentibúſq; donis aliquid ſimile iis largiretur, opéq; hâc ſua adeſſet. Quemdmodum apud Judæos olim Elias, aliiq; Prophetæ, tum ad gentes exteras, tum ad ſuos populares ſæpè à Deo mittebantur, qui Moſis Legem & ignotam docerent, & reſtituerent corruptam.

(*g*) Virtutum operationes, certum quoddam miraculorum genus quidam interpretantur. Poteſtatem nempè graviter peccantes præſenti pœnâ feriendi; qualem S. Petrus in Ananiam, & S. Paulus in Bar-Jeſum ſtringebant.

(*h*) Pro-

(*h*) Prophetia dos erat vel ad prædicenda futura, vel explicanda obſcura, vel revelanda nova & incognita. Eccleſia Rom. hanc dotem nondum à ſe abiiſſe cenſet. Nam Concilium Lateranenſe ſub Julio 2. & Leone 10. pro ſuâ bella & infallibili interpretandi probandiq; ratione, ex ipſa Scripturâ ſupponit Deum quibuſdam in Eccleſiâ, inſpiratione futura revelaturum. Eámq; inſpirationem aut Apoſtolicæ ſedis examini reſervari, aut loci ordinarii, aſſumptis ſibi aliquot gravibus viris, Judicio permitti jubet. Si prophetiam laxiore ſenſu ſumamus pro facultate verè & dextrè enarrandi ſacra volumina: quidni eam gradu quodam, Eccleſiæ præſertim Paſtoribus, Pietate & Humilitate eximiis, Dei donis ad ædificationem, non ad faſtum & oſtentationem utentibus, hodiè etiam conceſſam dicamus?

Seſſ. 11. Am. 3. 7. 1 Theſ. 5. 20.

(*i*) Ea eſt ſententiam ferre de iſtis, qui ſe numine ferri dicerent. Utrùm ſcilicet afflatus quos ſe ſentire aiebant à Deo eſſent profecti, an ſecùs. Fortè etiam & illud amplius complectitur, cordis animìve conſilia, ſenſus, inclinationes ſæpè cognita habere: quò & facta & ſermones aptiùs hominibus attemperentur.

(*k*) Notum hoc donum: quin & habenti & audienti facile cognitu, ſi ſubitaneum & infuſione repentinâ inditum; quemadmodum Apoſtolis Die Pentecoſtes, aliiſq; Apoſtolorum manuum impoſitione factum legimus.

(*l*) Myſteriorum intelligentiam, alii dicunt cognitionem rerum divinarum, alii figurarum, Typorum, Prophetiarum, locorum in S. Scriptura difficilium. Latiùs tamen diffundere ſenſum melius; ita ut myſterium dicamus, quicquid ſit remotum, profundum, obſcurum, ſupra captum humanum communem, Eccleſiæ tamen utile & fructuoſum. Neſcio autem quid dicere vetat, ſi priſtina morum puritas & ſimplicitas, ſi Pietas & Caritas primorum Chriſtianorum noſtra ſæcula inviſerent, quarundam harum dotum, fortè omnium aliquid ſperare liceret. Nam ſi recedente diſciplinâ recedere gratiam cum Cypriano dicendum ſit: Cur eâdem diſciplina redeunte, eadem etiam gratia non rediret? Quin & ſuperſunt hodiè gentes innumeræ aut nullum aut falſum Deum colentes; ſuperſunt per longiſſimos tractus diffuſi Mahummedani, ingentibus opibus, & validiſſimis imperiis vix Romanorum Gloriæ & Magnitudini cedentibus; ſuperſunt deniq; diſperſi per omnes Populos Dei veri olim peculium, præfracti Judæi: qui omnes ſimul ſumpti tres ampliùs hominum toto terrarum orbe viventium partes quartas conficiunt. Reſtant inquam hi omnes, tanta mortalium multitudo Chriſti jugo ſubjicienda. Sed quid præter carceres, & flammas, & mortes, graviſſimarúmq; Perſecutionum procellas, ſanctorum iſtorum hominum animos & mores dabit, tantámq; proinde Eccleſiæ affundet gloriam?

Notæ ad Tab. 9.

(*a*) NObiliſſimum certè habent uſum harum rerum cognitio certior & contemplatio frequentior. Nam cùm iſthæc opera auguſtiora magiſq; magnifica Omnipotentis Mundi parentis & opificis cernimus, & attentiùs paulò conſideramus, ejuſdem in nobis veneratio mirificè augetur, atq; ex imo pectore exurgit. Cùm porrò vitæ actio, tantò noſtrâ perfectior, & condito beatior monſtratur & deſcribitur, continuò attollitur animus, efficitúrq; votis & conatibus ſeipſo major. Cùm deniq; hanc ipſam vitam, ſinceræ Pietatis & Virtutis mercedem immortalem & promiſſam & reſervatam legimus, certóq; futuram credimus; humana omnia, vitiorum blandimenta & lenocinia facilè deſpicientes, mentes noſtras ab omni carnis ſpiritûſq; inquinatione puras reddere, ſtudia omnia ſedulò conferimus. Permulta autem ſunt, quæ apud Scriptores Ethnicos, præcipuè ſectæ Platonicæ de Diis, de Dæmonibus, de Geniis Cœlorum aeriſq; incolis leguntur: quorum partem potiſſimam à ſacris Judæorum vel libris vel Traditionibus derivatam dubitari vix poteſt. Univerſi quidem naturam contemplantibus valdè abſonum rationi videri poteſt, hanc terram, mundi quaſi fœces & ſedimentum animantibus eſſe repletam: totum verò aereum orbem, quem animorum plenum Poſſidonius Stoicus affirmabat, infinitáq; propè cælorum ſpatia animorum prorſus vacua. Sed & pauciſſima ſemper ejuſmodi extitêre ingenia, nec ultra ſuſpiciones & conjecturas eundem erat. Pleriſq; autem hominibus craſſioris luti terræ affixis, ſenſibúſq; tantùm obvia cogitantibus vix quicquam de naturis iſtis inviſibilibus unquam [illegible] mentem ſine Revelatione veniſſet: Multò minus quiſpiam illarum veras prop[illegible] conditiones, actiones, deſcribere valuiſſet. Fortè tamen aliquid ex effectis & app[illegible]bus ſcire potuêrunt. Hiſce autem ita primò Revelatione cognitis facile erat Calidi[illegible] ingeniis & otio abundantibus, infinita fere confingere & adjicere, abſurda ut plurimum, nonnulla convenienter ſatis.

(*b*) Talem fuiſſe veterum Judæorum opinionem, etiamſi illi nihil dicerent, ex tot ſuorum ſacrorum voluminum locis nemo ignoraret: deſcendit (inquit. Targ. Hieroſolym). Deus ad Montem Sinai comitatus רבוון מלאכים קדושים ſanctorum Angelorum Myriadibus; extenſâq; manu ejus ex flamma legem dedit. Quod etiam ſenſu dicitur per Angelos

Deut. 33 Heb. 2. 2

gelos dictus Sermo, *i. e.* per Deum ipsum Angelis stipatum tanquam ministris & testibus; uti Hebræi ferè omnes sentiunt. Angelos porrò secundo die creationis factos idem asserit
Gen. 1. 26. paraphrastes.

(*c*) Æthereis nempè, ejusdem materiæ generis cum eâ loci quo degunt & versantur; quemadmodum nos terrestres hic terram gestamus. Ea Script. sententia videtur. Etenim Servator noster Saducæorum objectioni respondens, asserit, eos [bonos] qui ex mor-
Luc. 20. 36. Mar. 12. 25. tuis resurrexerint, tantóq; privilegio digni à Deo habiti fuerint, fore eo tempore Angelis pares, vel sicut Angelos, qui neq; ducunt Uxores, neq; nuptum dant, morive possunt amplius. Cùm autem sancti *corporibus suis* resurrexerint, hanc illorum cum Angelis paritatem seu similitudinem, corporis ratione futurum dici verisimilius. Diversæ tamen hâc de re ubiq; fuêrunt opiniones. Philosophi ferè omnes vel illorum naturam nihil aliud fuisse quàm subtilem igneámq; materiam sentiebant, vel iis istiusmodi vehiculum dabant. Ita & Patrum pleriq; & Conc. Nicænum secundum; & *hoc* quidem vix alio Consilio, quàm ut eos & fingerent & colerent. Scholastici planè contrarium docent, purásq; spiritales substantias, corpori nulli copulatas; seu mentes quasdam solutas & liberas, Angelos esse
Fundan. Leg. lib. 2. volunt. Judæi etiam in diversas abeunt partes. Majem. eos esse צורות seu meras formas existimat; & alibi mundo futuro animas nostras nulla habituras corpora instar Ange-
Epist. de Res. Mort. ad Exo. 3. Sep. Ikk. lorum, eámq; esse cordatorum omnium sententiam affirmat. Aben Esra Angelos nec esse corpora nec corporibus inesse ait. Rabbi Josepho Albo Angeli sunt נבדלים מחומר ab omni materiâ sejuncti & separati. Alii verò Magistri ex subtilibus elementis factos putant. Vid. Vorst. ad lib. 2. majem. de fund. leg.

(*d*) Innumeris ferè de Angelorum Officiis & Ministeriis, scatent scripta Judæorum an-
Gen. 18. 2. Gen. 21. 10. tiquorum recentiorúmq; plerisq; de suo cerebro pueriliter confictis. In Targ. Hieros. & Jonat. Bonos Angelos Dei ad homines esse nuncios dicitur; sed singulis negotiis etiam singulos Angelos deputatos; neq; unum posse duabus legationibus fungi. Iidemq; introducunt מלאכי מרומא Angelos excelsi confabulantes, sibiq; invicem digito monstrantes,
Gen. 2. 8. duos istos justissimos, Patrem Filiúmq; Abrahamum & Isaacum. Rursùs in Historiâ Jacobi habemus Angelos eum comitantes, vocantesq; socios ad contemplandum pium istum dormientem quem videre tantoperè optaverant. Ibidémq; R. Selo certas quasdam terræ Regiones, Angelis bonis quibusdam assignatas putat. Unde Angelos ascendentes in scala quam per somnum Jacobus videbat, ad eum usq; locum quò proficisci liceret, se comites dedisse existimat: descendentes verò eos fuisse, qui sua provincia aliis succedebant.
Litur. Jud. vol. 1. Quin & Judæi hodiè precatione quadam matutinâ ita precantur, &c. צוה מלאכיך *i. e.* Jubeas ô Deus Angelos tuos rebus humanis præpositos, ut mihi sint præstò in auxilium. Ubi etiam Angelis quibusdam, Michaeli, aliisq; ibidem nominatis, singulorum Hebdomadæ dierum curam imponunt.

(*e*) Majem. pro Magistrorum suorum arbitratu ordines decem hoc modo numerat.
Fund. Leg. cap. 2. (1) חיות הקודש (2) אופנים (3) אראלים (4) חשמלים (5) שרפים (6) מלאכים (7) אלהים (8) בני אלהים (9) כרובים (10) אישים. Ordo supremus [חיות הקודש] nihil supra seipsum suspicit præter [כסא הכבוד] solium Gloriæ: ordo autem infimus [אישים] cum Prophetis loquebantur, iisq; apparuêrunt [במראה הנבואה] visione Prophetica. Eodem fermè modo & Platonici habent suos θεοῦ υἱὸς & θεῶν υἱὸς, Dei Deorúmq; Filios; Deos supracœlestes, cœlestes & subcœlestes, sub summo Deo omnium opifice. Infimi etiam Judæorum ordinis officio, simile quid tribuit Plato suis Deis, quos πορθμεύοντας portitores appellat,
Porph. lib. 2. de abst. pla. Symp. Apul. de Deo Socr. seu apud Deos hominésq; internuncios, preces nostras ad eos tanquam ad Judices ferentes sursùm, illorumq; vicissim monita hortationes, oracula nobis referentes. Spurius ille Areopagita Angelorum in Script. nomina in 9. ordines distribuit.

(*f*) Infinita ferè sunt quæ de istis apud Judæos occurrunt aliósq; Scriptores, quorum multa vix anu digna. In T. B. R. Abai & R. Houna Authores sunt, ingentem esse multitudinem [המזיקים] maleficorum spirituum: & cuiq; homini hinc à dextrâ 1000, illinc à sinistrâ 10000 adesse. Docetúrq; ibidem ritus quo illorum vestigia, ipsiq; etiam spiritus videri & dignosci possunt. Videat etiam cui libet Porph. de Dæmonum κακοεργῶν & κακοποιῶν loco, ingenio, moribus, factis. R. Selom. ad Exod. 32. vituli aurei conflationis & cultus Satanam vult Authorem. *Dæmones* inquit Min. Fælix, *sub statuis & imaginibus consecratis delitescunt, & afflatu suo autoritatem quasi præsentis numinis consequuntur, vatibus inspirantur, fanis immorantur, extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt falsis plurimis involuta, à Cœlo deorsum gravant, ad materias à Deo* [illegible] *vitam turbant, somnos inquietant, occultè irrepentes corporibus morbos fingunt, terrent* [illegible] *membra distorquent*, &c. At verò per Deum verum adjurati vel statim exiliunt, [illegible] gradatim evanescunt. Hos porrò eosdem hunc Scriptorem aliósq; Patres passim persecutiones, odia, inimicitias, & portentosa adversus Christianos mendacia concitasse & finxisse arbitratos notissimum est. In Medraschim cum Zohar prolixam satis habemus narrationem R. Chaninæ & R. Kasmæ de Angelis עזי & עזאל contra Deum murmurantibus & insurgentibus, adeóq; de loco sancto deturbatis. Istos præterea fuisse qui circa terram volutantes, aere interdum induti Filias hominum adamabant, à quibus etiam suscipiebant liberos. Tandem verò ad montes tenebrarum à Deo relegati, catenis ferreis longissimis usq; ad abyssi centrum defixis revinciebantur.

(*g*) Cal-

